Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Stephan Klotz Heinrich Wackenroder Zacharias Rottmann

Articulus De Baptismo Duabus Dissertationibus

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Vert.: ① H. Wackenroder
② H. Wackenroder + Z. Rottmann

St. Clotz.

R. U. theol. 1634.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0001
DFG

Contenta:

(1) H. Wackenroder: De onomatologia 1634

(2) H. Wackenroder, Z. Rottmann: De baptismo 1634



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0002
DFG

Articulus
DE
BAPTISMO
DUABUS DISSERTATIONIBUS
Exhibitus
In incluta Rostochiensi
Academiâ
Opera & præsidio
STEPHANI CLOTZ, S. S.
Theol. Professoris ordinarij & ad
D. Jacob. Ecclesiastis
Respondentibus
HENRICO Wackenroder/ Alfeldiâ-Saxone
&
ZACHARIA Rottman/Hervordiâ-Westph.

ROSTOCHI,
Litteris JOACHIMI PEDANI, *Acad. Typog.*
ANNO M.DC.XXXIV.

1634

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0004
DFG

DE BAPTISMO

DISSERTATIO PRIOR,

Quæ est

DE

ONOMATOLOGIA,

Sive

Appellationibus Baptismi in sacra scriptura usitatis,

Loco Disputationis anniversariæ exhibita

PRÆSIDE

STEPHANO CLOTZ, S. S. Theol. Professore, & ad D. Jacob. Ecclesiaste, ac p. t. Academiæ Rectore,

Respondente

HENRICO Wackenroder / Alfeldia Saxone,

Habebitur publicè in Auditorio Majori, ad d. 15. Martij, horis à Septima matutinis.

ROSTOCHII

Litteris JOACHIMI PEDANI *Acad. Typog.*

ANNO M. DC. XXXIV.

16 34

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0005

DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0006
DFG

יהוה

Dissertatio Prior,

de

Ονομασολογία Baptismi.

Resp. HENRICO Wackenroder.

VAriè *Sacramentum initiationis*, in quo, *ut* Cyrill. *ait*, novum nomen accipimus, quod ante non habebamus, & accensemur sancto rationaliq; gregi Christi, segregandi ad ejus dextram, & hæredes futuri vitæ jam nobis paratæ, *in Scripturis nominari consuevit: Fit autem ferè ut qui rem aliquam impensè amant, nomina quoq; ejus libenter usurpent, quapropter omnium primo, ὀνομασολογίαν Baptismi, qui prima nobis ad salutem janua est, impræsentiarum ulterò citroq; collatis sententiis inquirere satagimus: Deus faxit ut non nihil agamus! Dicitur autem*

I. Βάπτισμα vel Βαπτισμὸς:

§. 1. *Hoc est hujus Sacramenti nomen Vulgatissimum, ex* Matt. 3. 7. Rom. 6. 4. Eph. 4. 5. Col. 2. 12. 1. Pet. 3. 21. παρὰ τὸ βαπτίζειν, *quod est* aqua tingere *aut tingendi gratia mergere*, 2. Reg. 5. 14. Jud. 12. 7. Syr. 34. 30. Julianus *contra quem* August. *scripsit, vertit perfundere*; Castellio, *usitatis baptismi & baptisandi vocibus eliminatis, pro baptizare, lavare, pro baptismo lotionem appellare maluit. Quandoq; in S. S. est* donis copiosè perfundere, *& imbuere, quomodo baptizari dicuntur Sp. S. & igne*, Matt. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Act. 1. 5. *qui miraculosis Sp. S. donis largiter & quadam*

quasi effusione facta, Es. 44. 3. Ioel. 2. 28. Act 2. 17. *sunt imbuti*. Plato in Sympos. *cognata significatione accepit pro* μεθύσκεσθαι, *sicut latinus qui Ebrius est, madidus, & qui Sobrius est, siccus dici solet. Aliquando est idem quod* opprimi *& quasi mergi sive laborum sive calamitatum sive alia quacunq; mole, ut* βαπτίζεσθαι τοῖς πόνοις, βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν πραγμάτων, βεβαπτισμένος ὀφειλήμασι, *&c. apud* Plutarch. βαπτίζεται ἀνομία *apud 70. Interpp.* Es. 21. 4. *Inde* βαπτισμὸς *quandoq; tribulationum moles est, qua homo cum premitur, & quasi mergitur baptizari dicitur*, Matt. 20. 22. Mar. 10. 38. Luc. 12. 50. *Speciatim vero significat* aquâ verbo Dei comprehensa hominem lavare *in nomine Patris &c. ad peccatorum suorum remissionem*, Matt. 3. 6. 11. 14. c. 28. 19. Mar. 1. 4. 5. 8. Luc. 7. 30. Ioh. 1. 25. 26. 28. 31. 33. &c.

§. 2. *Hinc ortæ sunt variæ illæ* βαπτισμῶν *significationes: Est enim* I. Baptismus legis, *vel potius Vet. Test. purificatio sc. & lotio illa levitica Judæis Vet. Test. usitata, quo sensu* βαπτισμοὶ διάφοροι *dicuntur*, Eb. 9. 10. βαπτισμοὶ πολλῶν, Marc. 7. 4. 8. *&c. Judæi enim non tam legis divinæ statuto*, Num. 19. 20. Lev. 14. 7. c. 16. 19. *quam seniorum additamento creberrimè lotionibus utebantur*, Matt. 23. 25. Mar. 7. 3. 8. Luc. 11. 39. *quo nomine sex hydriæ lapideæ in nuptiis Cananæis ad* purificationem *illam sive* βαπτισμὸν *leviticum positæ erant*, Joh. 2. 6. *quem postea superstitiosè in Christi Ecclesias invehere sategit* Hebion, *& Hebionis spiritu Pontificij, qui aquam lustralem consecrant, eiq; tribuunt quod habeat vim delendi peccata venialia, fugandi Dæmones, & curandi morbos*, Bell. l. 3. de Cult. Sanct. c. 7. l. de ext. Unct. c. 6. *quod valeat in deletionem venialium peccatorum*, Discip. de temp. serm. 110. *quod populum sanctificet, mundet, expurget*, Alex. l. in C. aquam sale de consec. dist. 3. *quod Dæmones ex-*

nes expellat, qui eam valde timeant ne corpus eorum aspergat, In spécul. Ordin. c. 14.

§. 3. *Q. De Baptismis legis,* An potuerint expiare peccata? *Pontificij & Sociniani negant: Illi, ut obtineant Sacramenta & Sacrificia Vet. Legis non fuisse media gratiæ: Hi, ut satisfactionem Christi enervent. Nos asserimus officium lotionum quarundam Leviticarum fuisse non solum legale & leviticum ad purgandam immunditiem carnis,* Eb. 9. 14. *sed & typicum sive Evangelicum ad significandam interiorem immunditiem salutari sanguinis Christi lavacro aliquando abstergendam, Ablutiones itaq; illæ, cum adhuc vivæ essent suo modo expiabant peccata, non quidem αὐτοενεργητικῶς ex sese & sua virtute, quia sic non opus fuisset aliâ alterius expiatione, neq; abrogari debuissent,* Eb. 7. 11. 18. *Imò verò sic purgat solus Christi sanguis,* Eb. 9. 14. 1. Joh. 1. 7. 2. Pet. 1. 2. *sed τυπικῶς & exemplariter virtute sanguinis Christi, cujus umbra fuêre & exemplar,* Eb 8. 5. c 9. 9. 23. c. 10. 1. *quia sub typis illis fides Messiam exhibendum apprehendit, & illius virtute & meritis, qui Heri, Hodie & in secula est,* Eb. 13. 8. *& ab origine mundi mactatus est,* Ap. 13. 8. *innixa est: Nam 1. Ubi, Ubi typica illa significatio fuit, ibi à signo sive typo illo efficientia gratiæ, & fidei in Christum confirmatio suo modo orta est: Quicquid enim movit intellectum ad assentiendum veritati promissionis de Messia exhibendo, illud generavit fovitq; fidem & sic suo modo expiavit peccata: Typicæ verò illæ lotiones moverunt intellectum ad assentiendum veritati divinæ promissionis de futuro Messia, cujus sanguine aspersi & livore sanari possemus,* Es. 53. 5. *Generarunt E. suo modo atq; foverunt fidem. Hinc (2) aspersio sanguinis animam expiare dicitur,* Lev. 17. 11. *Et aspersio levitica (quæ fiebat hyssopo,* Ex. 12. 22. Lev. 14. 4. Num. 19. 6.) *mundabat corda quatenus à Deo fiebat, qui solus*

corda sanguine Christi Mosaicis illis typis adumbrato, purgare potuit, Ps.51. 9. Sic & (3) ablutiones illæ dicuntur δικαιώματα, Eb.9.1. quia illarum manuductione per fidem in Christum ducebantur, à quo omnis justificatio solum erat expectanda. Sic & (4) dicitur sanguis fœderis, Ex.24.8. quia typus fuit sanguinis N. T. Matt.26. 28. Luc. 22. 20. per quem fœdus gratiæ cum Deo sancitum est atq; firmatum, Eb.9. 11. 14. 20. Sic (5) aqua remotionis dicitur, quia è Vaccæ pro peccato combustæ cineribus confecta, Num.19. 9.13. typus fuit aspersionis sanguinis Christi, Eb.9.14.

§. 4. II. Baptismus maris, sive transitus Israelitarum per mare Erythræum, 1. Cor.10. 2. qui Israelitis per Maris alveum feliciter deductis fuit quoddam quasi gratiosæ DEI præsentiæ σύμβολον: quo certi esse poterant, quod Deus vellet esse illius populi Deus & defensor contra omnium hostium insultus: De quo

§. 5. Q. An sit Sacramentum? Sunt non solum ex ijs qui Calvinum sequuntur, sed etiam è nostris viri perquam magni, qui vocent Sacramentum, non tamen ordinarium sed extraordinarium, non perpetuum, sed καιρικὸν sive temporarium, quia erat invisibilis gratiæ Dei signum & testimonium spectabile, movens intellectum ad assentiendum veritati promissionum divinarũ, ideoq; fovens & confirmans fidem: Et ideo Israelitæ ἐβαπτίσαντο in nube & mari, 1. Cor.10. 2. Utiq; non ratione signi, quasi ille Baptismus fuerit signũ nostræ ablutionis in Baptismo, quia hujꝰ & illiꝰ non est eadẽ Ceremonia, neq; in illo Israelitarũ, sicut in hoc nostro fit, facta est ablutio: Sed ratione typi & finis, quod ille transiꝰ, ut Baptismi typus, fuerit signũ & symbolum gratiæ divinæ, sicut & noster Baptismus est: Ne tamen nimium nimiumq; fertiles simus in cudendis sacramentis, symbola gratiæ DEI à Sacramentis exquisitè dictis distingui possunt,

sunt, alias pari ratione & Iridem, Gen. 9. 16. *& altare illud*, Ex. 17. 15. *& Gladium Gideonis*, Jud. 7. 18. *& quicquid tandem nomini divino consecratum, aut gratiæ symbolum est, Sacramentum dicere possis: Imò verò tot Vet. Test. Sacramenta facere, quot ibi recensentur typi Christi, &c.*

§. 6. III. Baptismus Crucis, Matt. 20. 22. &c. *Piorum enim afflictiones sunt aquæ multæ*, Ps. 18. 17. Ps. 69. 2. 3. *quibus homo cum quasi mergitur, baptizari dicitur. Hinc* Baptismus sanguinis *veteribus erat Martyrium illorum qui* ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι ὑπὸ τῆς οἰκείας ἐβαπτίσθησαν, *ut ait* Basil. *& sacramento Baptismi nondum percepto pro fidei confessione ad sanguinis usq; profusionem restiterunt*, Heb. 12. 4. *Et hæc significatio Baptismi figurata est*, 1. Cor. 15. 29. *ubi propria sensus videtur esse, ut baptismus non accipiatur pro Baptismo aquæ, sed pro Baptismo sanguinis sive afflictionis, & argumentetur Paulus, frustra, si non est resurrectio mortuorũ, baptisamur, h. e. subimus in hac vita tot pericula, Hoc est enim baptisari h. l. juxta illud* Matt. 20. 22. *Hunc sensum esse constat tum ex præcedentibus, dixerat enim paulo ante, si in hac vita tantum speramus in Christum, miserabiliores sumus omnibus hominibus, nimirum quia illi, qui non credunt resurrectionem mortuorum indulgent genio quantum possunt, Christiani vero propter fidem resurrectionis obimus multa pericula; Tum ex sequentibus. ubi* βαπτίζεσθαι *exponitur per* κινδυνέυειν & ἀποθνήσκειν! Ut quid Et nos periclitamur omni hora, *ubi illa dictio* Et *sine dubitatione res similes conjungit. Ergo etiam significat se baptizari pro mortuis cum periclitatur, Ergo quod nunc vocat periclitari, dixerat paulo ante baptizari; item statim dixit, Quotidie morior, & tamen non moriebatur, sed versabatur in rebus adversis: Hoc ergo vocaverat paulo ante baptizari: Illa tamen* Bellarm. *interpretatio, Quid facient pro*

pro mortuis orantes jejunantes seseq; *affligentes, jejuna es & ridicula.*

§. 7. *De hoc Baptismo* Q. An peccata & pœnas remittat & auferat? *Pontificij martyrium dicunt convenire cum Baptismo aquæ in tribus effectibus: 1. Quod configuret hominem Christi passioni & morti, 2. Quod peccata remittat, & 3. Omnẽ pœnam peccato debitam sive temporalem sive æternam; Ita etiam* ut si quis ad martyrium accedat, adhuc in peccatis existens, tamen sine affectu ad aliquod peccatum & cum fide & dilectione inchoatâ & pœnitentia saltem imperfectâ, qualis requiritur etiam ante Baptismum aquæ, is virtute martyrij ex opere operato justificetur, ut ajt Bell. l. 1. de Bapt. c. 6. *nec minus eandem vim Martyrij ex opere operato, atq; Baptismi esse statuit,* Coster. Ench. c de Bapt. p. 354. *Modestiores tamen qui esse volunt, ut* Paludan. Bonavent. Alens. Ledes m. Canus &c. *Baptismo martyrij vim illam tribuunt, sed ita ut opus esse dicant vera contritione & charitate, si martyrium DEO probari debeat. Verum tam iniquis nobis esse non licet,* 1. In sanguinem Christi, *qui solus purgat,* 1. Joh. 1. 7. *ejusq; passionem acerbissimam, quæ sola tollit omnia delicta,* Joh. 1. 29. Es. 53. 3. seqq. *idq; meritorie: non martyrium.* 2. In verbum & sacramenta, *quæ ex parte DEI solum offerunt gratiam & remissionem peccatorum, idq; organice; non martyrium.* 3. In fidem, *quæ ex parte nostri solum apprehendit oblatam gratiam, neutiquam martyrium.* 4. In actiones & Passiones nostras, *quæ non placent DEO, nisi sint hominis jam fide reconciliati, & justificati à peccatis,* Eb. 11. 6. Rom. 14. ult. 1. Cor. 13. 3. *&c. neq; sunt condignæ ad futuram gloriam,* Rom. 8. 18. *Neq; E. placet DEO martyrium nisi sit hominis reconciliati, &c.*

§. 8.

§. 8. IV. Baptismus luminis sive doctrinæ, κατ' ἐξοχὴν & Synechdochicè, & est totum Ecclesiæ ministerium, quod non docendo solum, sed & Sacramenta dispensando absolvitur: Quo sensu Baptisma Johannis, Matt. 21. 25. Mar. 11. 29. Luc. 20. 4. Act. 1. 22. c. 10. 37. c. 18. 25. c. 19. 3. non seorsim doctrinam, sed totum ejus ministerium notat, quod docendo & baptizando absolvit.

§. 9. Photiniani quidem inquirunt: An baptizare in S.S. aliquando sit idem quod docere? Idq; ut evincant Christum ubi præcipit Baptismum, Matt. 28. 19. non aquæ sed solius doctrinæ Baptismum instituisse: Sed frustra quærunt, & 1. Contra vocis naturam, βαπτίζειν enim in sensu proprio non est docere sed aqua lavare. 2. Contra omnem Scripturam, quia βαπτίζειν absolutè positum non nisi pro Baptismo aquæ sumitur, Act. 2. 38. 41. c. 8. 12. c. 16. 15. 33. c. 22. 16. additur verò limitatio vel evidens circumstantia, ubi figurate, Matt. 3. 11. Luc. 3. 16. Mar. 1. 8. Joh. 1. 33. Evidenti ergo ratione nos â literâ cispellant, & evincant ut credamus in hoc unico loco, Matt. 28. 19. βαπτίζειν absolutè positum, non propriè pro lavare in aqua, sed figuratè pro docere sumendum esse: Aut fateantur sese esse inter eos, qui Scripturas contra conscientiam torquent ad sui perditionem, 2. Pet. 3. 16. 3. Contra executionis cum præcepto Christi, harmoniam; Ea sane ratione & non aliter administrarunt Apostoli Baptismum, uti eum Christus administrari jussit, Matt. 28. 20. Rom. 15. 18. administrarunt autem Baptismum aquæ, Act. 8. 36. 38. c. 10. 47. 48. Illum E. Matt. 28. 19. administrari jußit.

§. 10. V. Baptismus flaminis, sive ut Scriptura appellat Sp. Sancti & Ignis, Matt. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. quem sinistrè accipiebant Seleuciani & Hermiani, qui suis in Baptismo crucem ignito ferro loco aquæ impressérunt; Nec minus

sinistrè Origen. *qui quosdam dicebat in hac vita baptizari aquâ & spiritu, quosdam verò post hanc vitam igne Purgatorij: Neq; verò, ut* Calvinus *asserit & qui eum sequuntur, Baptismus aliquis internus ab externo aquæ distinctus hic innuitur; neq; Baptismus Christi & Apostolorum à Baptismate Johannis ita dispescitur, quod hic in Aqua nuda, Ille in Spiritu baptizet, uti exponit* Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 21. *Sed tum Johannis persona & ministerium, cum Christi persona & Magisterio confertur, quod Johannes quidem ministerium in baptizando præbeat, Christus verò corda spiritu suo convertat, Conf.* Joh. 1. 27. 1. Cor. 3. 6. *Tum verò (quod magis est ad mentem Baptistæ)* hæc verba *(ut* Cajet. ait in Matt. 3.) monstrant distingui contra Baptismum Johannis è regione Baptismum Pentecostes, qui fuit in Spiritu & Igne, *quo respectu Johan. ait in futuro: Hic baptizabit*, Marc. 1. 8. *Quod etiam vidit* Bellarm. ipse, l. 2. de Effic. Sacram. c. 3. *qui* per ignem *ait* rectissimè intelligi potest externus Ignis, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes: *μεταφορικῶς E. quæ verba sunt Bezæ*, missio illa Sp. S. intelligitur, quæ die Pentecostes exhibita fuit Apostolis, duplici adhibito symbolo venti vehementis & linguarum ignearum, Act. 2. 2. 3. Illo quidem Sp. Sanctum commodissimè repræsentante, Istis verò vim illam prædicationis Evangelicæ in illustrandis, purificandis & fovendis mentibus aptissimè designantibus: *Ita enim expressè explicatur*, Act. 1. 5. *tum etiam à Petro*, Act. 11. 16.

§. 11. VI. Baptismus fluminis, *& est salutare illud Sacramentum, ubi homo aquâ verbo DEI comprehensa in nomine Patris &c. tingitur ad peccatorum remissionem & salutem æternam. Et hoc dicitur*

§ 12. *cum addito,* Eb. 6. 2. *Quidam divisim legunt textum cum* Luthero, *βαπτισμῶν, διδαχῆς, uti in quibusdam Græcis Codd. interpunctum habetur: Alij per* Hypall. *intelligunt baptismatum doctrinam, sive doctrinæ explicationem compendiariam, quæ in Baptismis & impositione manuum tradi rudibus præsertim solebat, quum ad tales baptizandos vel adimponendas eis manus conveniebatur,* cum Beza, *Nec illud contra fidei analogiam aut præter Apostoli mentem:* Socinus *verò per βαπτισμῶν διδαχῆς, sive ut ille exponit, baptismatum doctrinam, ait, præstare, si intelligatur remissio peccatorum & Christi legis præscriptio.* Admodum ineptè! *Quo enim exemplo, aut quâ scripturâ, qua specie veri probabit nobis, Baptismum esse idem quod remissionem peccatorum: Remissio quidem peccatorum omni Baptismo ritè administrato & fide susceptо connexa semper est, ipse tamen Baptismus pro remissione peccatorum poni non consuevit.* Dein: *& vocis βαπτισμῶν proprietas hoc urget, ut de Baptismo aquæ juxta literam intelligi debeat.*

§. 13. Flacius in Clav. *exponit de illis crebris legis purificationibus ac lotionibus, quæ initio in primitiva Ecclesia præsertim Apostolorum tempore nondum erant planè abolitæ. Neq; hoc satis concinne! Quia Apostol. hic τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον, h. e. prima* Christianismi *principia & rudimenta narrat, v. 1. inter quæ omnino est, ut aliunde constat, non lotio Levitica, sed Baptismus aquæ.*

§. 14. *Quod vero βαπτισμῶν meminit numero plurali, fit ideo, non quasi duobus aquæ Baptismis opus sit, ut cavillatur* Socin. *aut quod iteratus unquam Baptismus sit, sed quod plures Catechumeni solerent ad Baptismum convenire, & plures Baptismi statis diebus administrari, quod postea factum certis*

diebus, Paschæ & Pentecostes, qui propterea dies Baptismatum *dicti sunt, ut constat ex* Epist. Siricij 1. Gelasij 1. August. de Cura pro mort. c. 12. Cyrill. Hieron. Durand. *& aliis, quæ consuetudo, teste* Socrate l. 5. c. 22. *in Thessalia ita obtinuit, ut diebus Festi Paschatis duntaxat baptizarent, id eoq; pleriq; paucis admodum exceptis mortui sint absq; baptismate:* Gregor tamen 11. Epist. *ad Thuringos mitius edixit, ut nemo citra mortis necessitatem nisi Paschali & Pentecostes festivitate cælesti lavacro tingeretur,* Aventin. l. 3. Annal. *Βαπτισματα vero διδαχῆς cum addito appellat Apostolus, vel quod non nuda ceremonia, sed verbi & doctrinæ Christi sigillum fuerit Bapt. Vel quod doctrinæ explicationem compendiariam baptizandis tradi solitam, sibiq; connexam haberet: Dicitur*

III. βάπτισμα μετανοίας:

§. 15. Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 13. 24. c. 19. 4. *ubi legitur Johannes prædicasse & baptizasse Baptismum pœnitentiæ, quod* I. Quidam *ajunt non de Johannis Baptismo, sed futuro Christi dictum esse, qui in pœnitentiam & remissionem peccatorum dandus esset: sed falso, & contra* Act. 19. 4.

§. 16. II. Quidam *ajunt Johannem baptizasse Baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non quæ in illo Baptismo credentibus daretur: Sed longè post in alio Baptismo futura esset: Et hoc falso! Nam si Johannes ita docuisset de suo Baptismo, quis tandem ad illum accessisset & quomodo βάπτισμα μετανοίας sive conversionis dici posset? Ergone conversio est absq; peccatorum remissione? aut hæc absq; illa? aut quomodo hoc DEI consilio,* Luc. 7. 30. *futuram iram effugere potuissent,* Luc. 3. 7. Matt. 3. 7. *Ergone absq; peccatorum & Culpæ remissione remitteretur pœna, eaq; non temporalis solùm, sed futura quoq; sive æterna?*

§. 17. III. Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 23. *tribuit quidem*

Bapti-

Baptismo Johannis, quod dicatur Baptisma pœnitentiæ, sed ad distinctionem Baptismi Christi & Apostolorum: Quod (1.) Johannis Baptismus dicatur quidem Baptismus pœnitentiæ; At Christi Baptismus nunquam, qui dicatur potius lavacrum regenerationis, Tit. 3. 5. (2.) Johannis Baptismus solum provocet ad pœnitentiam, quæ eum sequatur, ut Effectus, Christi verò præsupponat pœnitentiam, uti dispositionem præeuntem, (3.) Johannis Baptismo non tribuatur immediatè remissio peccatorum, tanquam effectus sed pœnitentiæ ad quam provocabat Baptismus: At Baptismo Christi tribuatur remissio peccatorum ut effectum immediatum, Act. 2. 38. &c. Sed & hoc falso! Nam (1.) Bapt. Christi dicitur Baptisma pœnitentiæ saltem implicitè, eo ipso quod lavacrum Regenerationis dicitur, Tit. 3. 5. Quid enim est (in rei veritate) regeneratio nisi pœnitentia, & pœnitentia nisi regeneratio, nisi quod diversis nominibus varient, quorum unum à causa, alterum ab ejus causæ effectu dictum venit? (2.) Pœnitentia præcessit Baptismum Johannis, quia humilis peccatorum confessio, quæ magna pœnitentiæ pars est, præibat, Matt. 3. 6. accedebant contriti, nudabant vulnera, tum iste adhibebat remedia: Præibat & monitio ad agendum pœnitentiam, Matt. 3. 2. Luc. 3. 7. Johannes enim non cœpit statim baptizare priusquam vocationem suam exposuisset, & homines quantum erat satis, in doctrina instituisset, sed primum docendo fundamina jecit; post, quos doctrina imbuit, baptizavit, Act. 19. 5. Secuta quoq; est pœnitentia, quia post susceptum Baptismum monuit, ut facerent fructus ἀξίους τῆς μετανοίας, Matt. 3. 8. Sicut etiam Christi Baptismum tum præcessit, Act. 2. 38. tum secuta est, vel potius sequi debuit pœnitentia & ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα, Act. 26. 20. (3.) Remissio peccatorum tribuitur Baptismo Johannis, Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. eodem modo sicut

Baptismo Christi, Act. 2. 38. *& regeneratio*, Joh 3. 5. *sicut & Baptismo Christi*, Tit. 3. 5. *& iræ futuræ subterfugium*, Matt. 3. 7. Luc. 3. 7. *nisi enim hoc esset Johannes mendaciter prædicasset, & salus*, Luc. 7. 30. *nisi enim consilium illud DEI de salute esset Pharisæi illud spernendo pœnas æternas non incurrissent, sicut & Baptismo Christi*, Mar. 16. 16. *Imò verò* (4.) *Pœnitentiæ effectum & fructus est peccatorum remissio, At pœnitentia est effectus Baptismi Johannis, E. Remissio est effectus ejusdem Baptismi: Quod enim est causa causæ, est etiam causa causati.* (5.) *Pœnitentia Johannis Baptismo collata, aut fuit salutaris, & sic absq; fide & remissione peccatorum esse non potuit, aut non salutaris, & sic Bapt. Johannis fuit ministerium mortis & damnationis, quod absurdum! Baptismus E. Johannis fuit βάπτισμα pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum, non tam quod monitorium esset ad agendam pœnitentiam ijs qui hoc Baptismo uti vellent, sed etiam efficax ejus excitandæ medium, & jam collatæ symbolum sive sigillum: Eoq; Johannes dicitur eundem prædicasse, quia non muta ceremonia fuit, sed verbo prædicato annexa, ut quale verbum erat, talis etiam vi verbi Baptismus esset, efficax sc. ad remissionem peccatorum & salutem. Dicitur*

IV. βάπτισμα Johannis:

§. 18. Matt. 21. 25. Mar. 11. 29. Luc. 7. 29. Act. 19. 3. c. 18. 25. &c. *quod aliquando totum Johannis ministerium notat, non docendo solum, sed & baptizando absolutum*; Matt. 21. 25. Mar. 11. 29. Luc. 20. 4. Act. 1. 22. c. 10. 37. *Aliquando verò Baptismum ejus seorsim, ut* Luc. 7. 29. Act. 19. 3. &c. *Et dicitur* Johannis, *non ratione Institutionis, quod ab ipso Iohanne tanquam auctore institutus sit, uti mentitur* Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 20. *fuit enim è cælo, h. e. à DEO*, Matt. 21. 25. *à DEO sanctus*, Joh. 1. 33. Luc. 3. 2. *consilium DEI*, Luc. 7.

Luc. 7. 30. *medium remissionis peccatorum*, Luc. 3. 3. Mar. 1. 4. *& pœnarum*, Matt. 3. 7. Luc. 3. 7. *quod non nisi à solo DEO tanquam auctore sanciri potuit, neq;* (2.) *præcisè ratione* dispensationis *& ministerij: Ita enim* Baptismus Christi *pariter posset* dici Baptismus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum, quod tamen diligenter cavit scriptura, *quæ* Bell. *verba sunt*, c. l. *Sed tum* (3.) *ratione* promulgationis, *quomodo* Lex vetus dicitur lex Mosis, cum tamen eam Moses non instituerit, sed tantum promulgarit, *uti itidem ait* Bellar. l. 1. de Sacram. c. 23. §. ad testimonia. *Fuit enim Iohannes μεσίτης V. & N. Test. & quasi limes quidam, ut ait* Nazianz. *in quo cessavit Iudaismus & cœpit Christianismus, quiq; hoc ritu primum Vet. Test. antiquavit & inchoavit Novum, uti constat ex* Mar. 1. 1. Matt. 3. 2. c. 11. 12. *Et sane nisi dicere velis Baptismum Johannis esse nullius Testamenti, & sic nullius ponderis, nullius religionis, oportet te dicere quod sit vel Veteris Test. vel Novi:* Veteris *esse non potuit, quia ejus Ceremonias* Moses *instituit, quæ usq; ad Johannem durarunt*, Matt. 11. 13. *cum quo appropinquavit regnum cælorum, h. e. advenit tempus N. T. & regnum Messiæ diu expectatum, uti colligitur, ex* Matt. 4. 17. c. 10. 7. *& remotæ sunt Veteris Testamenti umbræ, in quibus Christus quasi* procul *positus conspiciebatur, neq; vero Testamentum illud quod jam jam erat antiquandum novis Ceremoniis augeri opus erat; Est Ergo novæ legis quod contra Iesuitam est*, l. 1. de Bapt. c. 20. *tum* (4.) *ratione* Collationis *donorum Sp. S. quæ in Baptismo Johannis conferebantur quidem ad salutem, sed non visibiliter & miraculosè ad administrationem, fideiq; confirmationem, uti in Baptismo Apostolorum Ecclesiæ primitivæ, Conf.* Act. 19. 4. seqq. c. 8. 15. 17. &c. *Dicitur*

V. Καθαρισμὸς, Purificatio:

§. 19.

§. 19. Joh. 3. 25. *Alibi significat hæc vox purgationes Leviticas*, Lev. 14. 4. Ex. 29. 37. Joh 2. 6. Luc. 5. 14. *Juvencus item qui peccati dicitur, primo Hellenistis dicebatur* καθαρσμὸς, *pro quo quod malè redditum putarent, Aquila & Theodotio usurparunt vocem* ἐξιλασμοῦ: *Hoc item loco sunt non pauci, qui statuant de purificationibus Vet. Testamenti per comparationem cum baptismo disputatum fuisse*, An illæ Johannis Baptismo sint meliores & digniores: *Johannis discipulis quidem pro magistro suo ejusq; Baptismo, Judæis verò pro Mose ejusq; lotionibus acriter concertantibus, utrisq; tamen à Iohanne, sicuti merebantur reprehensis, docente quod Unus sit Messias ceremonialibus illis purificationibus adumbratus, qui verè omnia peccata expiet, & in quem venturum fideq; apprehendendum ipse Baptismum administret, ut per eum remissio peccatorum impetretur: Et hisce videtur favere vox* καθαρσμοῦ, *quæ de lotionibus illis leviticis usurpari solita est, Tum etiam altercantium altera pars, quæ fuêre Iudæi, qui ordinarias suas purificationes maximè tuebantur: Pace tamen quod dixerim illorum qui ita sentiunt, non est hæc Opinio ad textus scopum: Nam cujus purificationis neq; in occasione, neq; in quæstione, neq; in responsione fit mentio illa non est* καθαρσμὸς, *de quo est sermo h. l. Atqui purificationum leviticarum, neq; in occasione* v. 22. *neq; in quæstionis* ἐξηγήσει, v. 26. *neq; in responsione*, v. 27. *usq; ad finem cap. fit mentio, E. Et sane (2) si de purificatione per comparationem cum Baptismo hic esset sermo, Iohannem oporteret responsione sua purificationem cum Baptismo comparare; nisi velis dicere eum extrà scopum de aliis respondisse, cum illi de cæpis quærerent: At ille non purificationem cum Baptismo, sed semetipsum suumq; officium cum Christo ejusq; officio confert, ejusq; divinam vocationem ad baptizandum asserit, v. 27. seqq. usq; ad finem, E.*

§. 20.

§. 20. Alij *ergo melius de Baptismo, ajunt contentionem fuisse & quidem de Baptismo Iohannis per comparationem cum Baptismo Christi*, uter sit melior, dignior, efficacior; *Illis nempe Iohannitis pro Baptismo Magistri; His verò Iudæis à Christi discipulis jam tum baptizatis, illumq; profitentibus, pro Christi Baptismo, ejusq; dignitate digladiantibus: Baptista vero per comparationem Iohannis & Christi, ejusq; assertum officium divinum utriq; parti respondente: Et hanc sententiam esse ad mentem & scopum textus, ita demonstro: De qua purificatione in occasione, in quæstione, in responsione, unicè fit sermo, illa etiam est καθαρισμὸς, de quo hic agitur: Atqui Baptismi fit mentio in occasione, v. 22.* (Baptizabat) *in quæstione:* (*v. 25. orta est igitur* ζήτησις, *sc. inde quod Christus baptizarat,*) *in quæstionis* ἐξηγήσει, (*v. 26.* Ecce *Hic* baptizat, *& omnes veniunt ad eum,* Hic *sc. quem tu antea in Iordane baptizasti, cui tu antea ignoto auctoritatem conciliasti, hic te deserto baptizat, & omnis populus, quasi ipsius Baptismus sit melior, venit ad eum, brevi igitur fiet, ut Schola baptismusq; tuus deseratur, & omnis in eum auctoritas transferatur:*) *in responsione: Ubi Iohannes rum divinam Christi ad Baptismum Vocationem asserit, quod non temerè & sine vocatione, sed ἐκ τοῦ οὐρανοῦ auctoritate DEI hanc sibi potestatem sumpserit, v. 27. eum comparationem instituit inter semetipsum, suumq; officium, & Christum, ejusq; personam, v. 30. doctrinam, v. 31. 32 33. & officium Mediatoris, v. 35. idq; ideo ut ostendat non errare eos qui Christi auctoritatem extollant seseq; æquissimo animo ferre, imò & gaudere, si de sua auctoritate aliquid decedat, modo Christi auctoritas & gloria crescat, v. 29. 30. cum ipse non sit Rabbi ille & dominus, ut eum certatim omnes suspiciebant, sed solum ipsius atriensis servus &c. Dicitur*

VI. Aqua absolutè:

§. 21. 1. Joh. 5. 6. *Hic intelligo* Aquam Baptismi, *Quia I. loquitur de* Aqua N. T. *per quam* JEsus *ille Christus ad nos venit*, v. 6. *non igitur intelligitur aqua expiatoria Vet. Test. uti contendunt*, Piscat. Aret. Tossan. *II. De aqua per quam* JEsus *ille Christus ad nos venit, adventu sanè non otioso & nudo, sed operoso & maximè efficaci, quo nobiscum agit & quasi transigit, & testatur nobis de suis beneficiis, eaq; in cordibus nostris applicat, confirmat, obsignat, quiq; adventus ad consummationem usq; seculi perdurat: Aqua ergo illa de qua Iohannes loquitur, est* medium, per quod *Christus gratiosè ad nos venit*; Testimonium, *quod de Christi gratioso adventu nobis testatur*; Sigillum, *quod gratiosam Christi præsentiam nobis in corde obsignat: Non E. intelligitur* 1. Baptismus Christi, *quem ipse suscepit in Iordane, ut* Cingl. & Gualtherus *asserunt, quia per illum ceu medium hodieq; ad nos gratiosè non venit: Neq;* 2. Baptismus Johannis, *h. m. quod Iohannes venerit in aqua solum, h. e. Baptismum contulerit non efficacem, At Christus attulerit Baptismum efficacissimum: cum aquam dederit sanguini suo admistam, uti* Bellarm. opinatur l. 2. de Sacram. c. 27. *De ea enim aqua hic sermo, quæ efficax medium per Quod Christus venit, quod hac stante hypothesi de Baptismo Iohannis dici nequit: Neq;* 3. Testimonium Johannis Baptistæ, *quod apud aquam de Christo perhibuerit, ut in h. l. opinatus est* Oecolampad. *Quia illud nec aqua consuevit dici, neq; per illud Christus ad nos hodieq; gratiosè venit: Neq;* 4. ablutio à peccatis *aut sanctificatio, uti cum* Beza *plurimi opinantur: nam neq; hæc in S. S. aqua dici solita, neq; est medium aut testis beneficiorum Christi, sed potius ipsum beneficium: Neq;* 5. Christi officium Propheticum, ut Zanch. Martyr &c. *Neq;* 6. vitæ Christi innocentia, *uti* Photiniani *asserunt: Neq;*

Aqua

(7) *Aqua illa prætisè sumpta, quæ profluxit de Christi latere, ut* plurimi Patrum *& plerique* Pontificij *asserunt, quam vis ad illam respectum fieri non dubitem*, de latere *enim* in Cruce pendentis Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt, *dicente* Augustin. l. 22. de Civ. Dei c. 17. *Neque* (8) *quicquam aliud, præterquam Baptismus aquæ, qui solum est illa aqua N. T. per quam Christus ad nos hodieque gratiosè venit, Testimonium: Quod de Christi adventu nobis testatur: Sigillum, Quod Christi adventum in nobis confirmat: Dicitur*

VII. Aqua munda:

§. 22. Eb. 10. 23. ex Ezech. 36. 25. Beza *Sp. S. gratiam intelligit, quæ vel ab effectu vel ex Antithesi externarum purificationum legis comparetur aquæ: Aquam verò Baptismi,* Chrysost. Oecumen. Ambros. Theophyl. Theodoret. & Pareus *ipse*, Ad sacramentum Baptismi *inquit* Apostolus respicere videtur, quo externa corporum fit ablutio, interna verò cordium purgatio per Christi sanguinem obsignatur: *Hoc quidem malè, quod externum Baptismum ab interno disseparat, illud tamen non malè, quod respectum ait fieri ad Baptismum: Alludit enim Apostolus ad ritus veteres legales, quibus Israelitæ ad tabernaculum Deique cultum accessuri lotionibus sese purgabant; ex antithesi ergo illud lavacrum intelligit, quod in N. T. aspergit nos & purgat â peccatorum sordibus, quod Baptismus est*, Tit. 3. 5. *Hæc quoque ut ait Theodoret.* posuit per comparationem; In lege enim utebantur aspersionibus, & corpus frequenter lavabant, qui autem ex N. T. vitam instituunt, per sanctissimum Baptismum animam expurgant, & â prioribus maculis liberam reddunt conscientiam; Aspersionem E. & aquam mundam Baptsmum appellavit: *Præterea: illam aquam intelligit Apostolus, quæ connexam sibi speciatim*

habuit ὁμολογίαν spei, Heb. 10. 23. *At illa Baptismo peculiariter erat annexa, qui Catechumenis non nisi Christum apertè profitentibus præbebatur, unde etiam dicitur ἐπερώτημα*, 1. Pet. 3. 21. Adde & hoc: *Illam aquam hic intelligi*, per quam *Ebræi Christo nomen dederunt, quæq; illis poterat esse incitamento, ne ab eo deficerent, & ad Judæorum superstitiones relaberentur*, v. 23. *At illa Baptismus est: Quia enim Baptismo lustrati, sive ut Apost. ait, aqua munda abluti, & in ea Christi nomen professi erant ad professionem spei ἀκλινῆ tenebantur; Dicitur*

VIII. λοῦτρον ὕδατος ἐν ῥήματι,
Lavacrum aquæ in Verbo:

§ 23. Eph. 5. 26. *quo appositissimè exprimitur*, tum materia, *quæ* aqua *est, non quivis alius liquor, quia illud lavacrum quod fit ex alio liquore non est lavacrum aquæ: Non ergo est Baptismus; tum* forma *& modus actionis, qui in* lavacro *sive lotione est, aspersio fit sive immersio perinde est, modo lavacrum fit: Nam lavacrum etiam aspergendo fieri posse, constat*, Joh. 9. 7. *tum* Efficiens *fructus & finis, qui in verbo mandati & promissionis est, de gratuita peccatorum in Christo remissione & sanctificatione*: Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo, *ait* August. tract. 80. in Johan. Piscat. in Not. ad c. 3. Matth. obs. 13. *lavacrum aquæ de sanguine Christi interpretatur μεταφορικῶς, sed appellatione lavacri aquæ ad Baptismum alludisse Apost. videtur ipsi Piscatori, tanta est veritatis evidentia.* Moscorovius verò Schmaltz. Socin. *& qui supra ejus farinæ homines Pauli textum de* lavacro Spiritus *intelligunt, h. e. verbo prædicato, cujus vi promissis & præceptis purget Christus Ecclesiam: Hoc verò est ludere pro arbitrio in Pauli corio! Verbum prædicatum dicere*

dicere lavacrum aquæ! dicere λοῦτρον τὸ ῥήμα, *quod Apost.* vocat λοῦτρον ἐν ῥήματι, *confundere quæ Apostolus licet non se-jungat distinguit tamen, & à litterâ temerè & sine ratione di-scedere! Illud sanè lavacrum hic intelligitur, quod est lava-crum aquæ in verbo, & sic à verbo distinctum: Atqui verbum prædicatum non est lavacrum aquæ, neq; est à sese ipso distin-ctum, quæ enim hæc foret* ἐξήγησις: *Christus mundat nos ver-bo in verbo: Ergo: Dicitur*

IX. λοῦτρον παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως,

lavacrum regenerationis & renovationis:

§. 24. Tit. 3. 5. Lavacrum, *quia* omne genus peccati cum ad salutare hoc lavacrum venimus aufertur, *ut ait* Origen. hòmil. 15. in Joh. Regenerationis, tum *quia ibi renascimur filij DEI, ex aqua & Spiritu*, Joh. 3. 5. Joh. 1. 13. *ut qui non leviter solum sauciati sumus, ut sanatione, sed pe-nitus corrupti & mortui peccatis*, Eph. 2. 5. *ut regeneratione è supernis*, Joh. 3. 3. *opus fuerit*: tum *quia in fœdus gratiæ tanquam filij ibi recipimur*, 1. Pet. 3. 21. *& fide Christum in-duimus*, Gal 3 26. *Regeneratio enim fit ad adoptionem*, Joh. 1: 12. 13. tum *quia salutis æternæ hæredes ibi renunciamur. Regeneratio enim fit ad vitam*, Jac. 1. 21. Renovationis, *quia justicia & sanctitas deperdita incipit ibi restaurari & re-novari homo in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum*, Col. 3. 10. *& transformari in pristinam imaginem*, 2. Cor. 3. 18. Eph. 4. 23. *non virtute aquæ per se, sed Sp. Sancti, qui cum hac aquâ conjunctus est & in hac actione effundi-tur in baptizatos.* Gyneus *quidem* disp. peculiar. de scal. Jacob. th. 29. Biblia Tigur Anno 57. Tossan. in Comment. Epist. ad Tit. Bellarm. l. 2. de Justif. c. 3. Reihing Jesuita in Compend. *ita legunt. Per lavacrum regenerationis & renovationem, nec improbat.* Justinian.

Jesuita eo quod ambiguum videatur, si græca verba videas, utro modo reddendum sit: Verum falsò & contra Apostoli mentem, qui nusquam alibi renovationi salutem nostram adscribit, hic verò Baptismum à duobus fructibus regeneratione & renovatione describit, & hanc cum illa, non ut idem cum eodem, ἐξηγητικῶς, juxta Bezam, neq; ut causam cum concausa, juxta Pontif. sed ut effectum cum causa & cum arbore fructum connectit. Lectio ergo illa locum non habet: Nec verò cum Schmaltzio (qui Idololatricum ait esse, si Bapt. aquæ vocetur regenerationis lavacrum) Catech. Racov. & quos hic habent ὁμοψήφους, Piscatore, Tossano, Marlorat. Calvino, per lavacrum regenerationis intelligi debet ipsa regeneratio aut renovatio, neq; Christus ipse cum Svvencfeldio, neq; prædicatio aut vera ex prædicatione Evangelij orta pœnitentia, per quam quasi renovemur & denuo nascamur cum Socino. Nam 1. neq; pœnitentia, neq; prædicatio, neq; regeneratio, neq; Christus uspiam in S.S. dicitur lavacrum: 2. Lavacrum propriè de Baptismo dicitur, qui est lavacrum illud aquæ in verbo, quo Ecclesia mundata est, Eph. 5. 26. Illud ergo lavacrum innuit utrobiq; Apostolus, qno singula Ecclesiæ membra tanquam organo purgantur: Atqui neq; prædicato verbo (quod etiam aliàs à lavacro hoc distinctum est, ex §. 23.) neq; pœnitentia, neq; regeneratione omnia Ecclesiæ membra purgantur & regenerantur: Nam ista & illud solum sunt adultorum non verò infantum, qui tamen ad Ecclesiam pertinent: Hæc verò non est medium regenerationis, alias regeneratio esset causa regenerationis, idem esset causa suipsius, sed actus, fructus, effectus à causa tum principe tum organica resultans, E. 3. Illud lavacrum regenerationis hic intelligitur, quod nos regenerat tanquam lavacrum, constans ex aqua, Joh. 3. 5. Eph. 5. 26. At neq; verbum (quod nos regenerat tanquam semen, 1. Pet.

1. Pet. 1. 23. *nuspiam verò dicitur lavacrum) neq; pœnitentiæ neq; regeneratio est illud lavacrum, constans ex Aqua, E. Dicitur*

X. Mare vitreum.

§. 25. *Ita colligimus ex* Ap. 4. 6. *ubi Baptismus videtur non inconcinne intelligi posse, allusione facta ad Labrum æneum,* Ex. 30. 18. c. 8. 8. c. 40. 7. *& mare fusile,* 1. Reg. 7. 23. *ex quo Sacerdotes tabernaculum aut templum ingressuri manus simul & pedes lavabant; Sicut enim Johanni in Apocalypsi status Ecclesiæ N. Test. quem suo tempore vel habuit, vel post habitura erat usq; ad consummationem seculi à c. 4. ad 20. delineatur: Ita hoc cap. 4. & 5. visione generali & ad prophetiam sequentem quasi præparatoria status Ecclesiæ N. Test. quam ab initio ad finem usq; obtinere debebat, exhibetur iis typis & coloribus, qui dein sparsim per totam Apocalypsin repetuntur, c. 11. 14. 15. 19. Illud ergo* mare *hic intelligitur, quod* 1. *pertinet ad statum Ecclesiæ militantis in hoc seculo, eumq; repræsentat, cujus typus hic Johanni exhibetur, & sic non potest esse* (1) præsens seculū. *ut vult* Ribera, *illud enim qua tale ad Ecclesiam non pertinet, neq; est coram throno Agni,* Apoc. 4. 6. *neq;* (2) cælum empyreum, *sive sedes DEI & beatorū, uti cū* Perer. *asserit* Cornel. à Lapide, *quia illud pertinet ad statū Ecclesiæ triumphantis: 2. Illud mare per quod tanquam mediū fit ingressus in Ecclesiam, uti conjicitur ex analogia,* Ex. 30. 18. *& est coram throno DEI,* Apoc. 4. 6. *Hoc autem Baptismo aquæ convenit. Ergo. Alias aliorum sententias non compilo, nec tamen eas quatenus analogæ sunt fidei, prorsus rejicio: quia ὡς ἐν τύπῳ τὰ ἀινίγματα exhibet nobis Apocalypsis Ecclesiæ statum, ubi quisq; pro mensura sibi collata, quantum poterit, ænigmata solvat: Maximè affinis nostræ est illa sententia, quæ de toto Cultu divino, cujus pars est Baptismus, intelligit,*

ligit, qui mari *propter amplitudinem*, mari vitreo *propter perspicuitatem non inconcinne comparatur*: *Causas cur Baptismus mare vitreum dicatur, rogati dicemus in sententiarum collatione*. *Dicitur*

XI. ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν,

Juxta vulg. Interrogatio conscientiæ bonæ in Deum:

§ 26. 1. Pet. 3. 21. *Diversimodè vocem illam* ἐπερώτημα *exponunt, vel per pactum & arrhabonem cum* Oecumen. *vel per stipulationem cum* Beza, *vel per Interrogationem cum vulgata, vel per confessionem cum* Syro, *qui* ܘܐܘܕܝܐ, *confitentes* DEum *in conscientia pura*: *Omnes tamen ut opinor non malè*: *Propriè* ἐπερώτημα *Interrogatio est, quo sensu cum in V. Test. Israelitæ in casu dubio interrogarunt os Domini, ut de ejus erga sese voluntate certi fierent, dicuntur apud 70.* ἐπερωτᾶν ἐν κυρίῳ, Jud. 1. 1. c. 23. 27. 1. Sam. 10. 22. 2. Sam. 2. 1. ἐπερωτᾶν διὰ κυρίου, 1. Sam. 23. 2 4. c. 28. 6. c. 30. 8. 2. Sam. 5. 23. ἐπερωτᾶν διὰ τοῦ θεοῦ, 1. Chron. 14. 10. *sic* ἐπερωτᾶν ἐν τοῖς γλυπτοῖς, Ezech. 21. 21. ἐπερωτᾶν ἐν συμβόλοις, Os. 4. 12. ἐπερωτᾶν τοὺς νεκρούς, Deut 18. 11. *Sic & Chald.* שאלתא Dan. 4. 14. μεταληπτικῶς *reddunt 70. per* ἐπερώτημα, Luth. Es ist beraths-schlagt / *Et illud Hebræorum*, פִּי הַדְּבָרִים Gen. 43. 7. *per* ἐπερώτησιν: *Hoc verò loco* ἐπερώτημα *est interior illa ablutio conscientiæ, quia opponitur per antithesin (quæ illud perspicuè satis innuit) ablutioni sordium carnis, ut necesse sit* ἐπερώτημα *illud esse ablutionem spiritualem, significatam tamen hac voce* μεταφορικῶς: *Oritur enim ex illa ablutione Baptismi Sacramentali, tum* stipulatio, pax & quies conscientiæ (*quæ verba sunt* Bellarm. l. 1. de Sacr. c. 17.) & proinde responsio bonæ conscientiæ atq; etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia

Deum

Deum accedere & interrogare, id est, cum eo colloqui eumq; rogare pro & se pro alijs; *tum* petitio, *quia conscientia jam â peccatis abluta & tranquilla clamare potest Abba pater, Deumq; ipsum sancta securitate interpellare, quo nomine videtur addi εἰς θεὸν, sicut Hebræis* שאל באלהים *eodem sensu dicitur, tum* Confessio; *quia homo renatus, qui corde in Deum credit, ore id constanter profitetur; tum* arrhabo & pigno, *quia conscientia à peccatis pura & justificata, ideoq; pacem habens cum Deo, testimonium Spiritus Sancti de sua salute sentit, quod illi loco arrhabonis & pignoris est, Arrhabo enim traditur fidei faciendæ causa. Dicitur*

XII. βουλὴ θεοῦ, Consilium DEI:

§. 27. Luc. 7. 30. Schmaltz. refut. thes. Frantz. de Bapt. f. 307. *ait Consilium DEI fuisse, quod pœnitentiam peccatores agere voluerit: Baptismum itaq; non vocari DEI consilium, licet ex eo quod Pharisæi nõ fuerint baptizati, evincatur, quod sprevirint DEI consilium: At, inquam ego, spreverunt Pharisæi DEI consilium non baptizati â Johanne, E. consilium DEI erat, ut â Johanne baptizarentur; E. Baptismus est illud DEI consilium: quia est illud ipsum quod hic Pharisæi sprevisse dicuntur: Erat enim res magni momenti, quæ â DEO non temerè & frustra, sed certo consilio & habita quasi deliberatione sancita, decreta, præcepta erat ad salutem nostram, quod etiam indicat vox* βουλὴ, *quæ alibi notat decretum, præceptum, propositum DEI,* Act. 4. 28. c. 5. 38. c. 13. 36. c. 20. 27. *quo inductus Johannes baptizabat,* Joh. 1. 33. *Dici solet*

XIII. φωτισμὸς:

§. 28. *Ita quidam putant appellari Baptismum; & ante eos magna Patrum concio, ex* Eb. 6. 4. *ubi Apostolum agere dicunt de non reiterando Baptismo, quasi sit Impossibile, ut semel illu-*

minati, h. e. baptizati denuo renoventur, h. e. baptizentur lavacro renovationis, Tit. 3. 5. Inde καλεῖται τοῦτο τὸ λοῦτρον Φωτισμὸς ait Justin. Ap. 2. & φωτίζειν pro baptizare, φωτίζεσθαι pro baptizari & Baptismo in Ecclesiam recipi, φωτισθέντες pro baptizatis à Catechumenis distinctos veteres dicebant, & statos baptizandis Catechumenis, dies τῶν φώτων denominabant: Et hanc sententiam, licet perperam, in malæ causæ patrocinium, sequitur Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 18. & l. 1. de Pœnit. c. 13. & cum eo Justinian. h. l. qui verba, Qui semel illuminati fuerint &c. ita παραφράζει: Qui aliquando Baptismo lustrati fuerint. Hic quidem non imus inficias Baptismum dici posse φωτισμὸν ab effectu, quia eorum qui hunc suscipiunt mentes illuminantur, Baptizati illuminamur, illuminati adoptamur adoptati perficimur &c. ait Clemens Alex. pædag. l. 1. c. 6. verùm Baptismum esse illum φωτισμὸν, de quo h. l. Paulus, quod cum patre illorum Patrum dixerim, non apparet: Nam 1. ἀδύνατον h. l. dicitur illuminatos denuo renovari! Pone intelligi per φωτισθέντας, baptizatos, ἀδύνατον erit baptizatos denuò baptizari. At inquis ἐστὶ ἄτοπον, ἄπρεπον, non licet tamen, & sic suo modo ἀδύνατον: Sed inquam ego, ἀδύνατον h. l. est gravius quiddam quam ἄτοπον, ut constat ex v. 8. & c. 10. 26. Et sane si φωτισμὸς hic est Baptismus, non legitimè adversariis, contra quos hæc scripsit, contrairvit Apost: volunt enim, qui verba de Baptismo intelligunt, Apostolum contra Ebræos hæc scribere, qui existimarint, quoties peccarent homines, toties Baptismo sese abluere posse peccata, sicut sub lege variis ablutionibus Judæi inquinationes purgabant. Quorsum ergo Apostolus assereret, illos qui voluntarie, Ebr. 10. 26. & malitiosè Christum abnegassent, qui toti, de toto, & in totum decidissent, filium Dei pertinaciter abnegassent, conculcassent, ostentui habuissent, & gratiæ Spiritum contumeliâ affecissent,

illus-

illuminari, h. e. rebaptizari non debere, de quibus tamen Ebræis quæstio non erat, sed ijs potius, qui ex infirmitate & ignorantia lapsi fuissent? Bella fuisset argumentatio Apostoli: Nemo eorum qui Filium Dei conculcat malitiosè &c. illuminari, h.e. rebaptizari debet: E. Nemo quoq; eorum, qui ex infirmitate peccant: Et quorsum sollicitus fuisset de horum Baptismo non reiterando, qui malitiosè illum ut & Christum conculcassent? omnia salutis media obdurato animo abjecissent, & malitiosè peccando perseverassent? Dici solet

XIV. Diluvium:

§. 29. Dominus consedit ad diluvium, Ps. 29. 10. Quidam hic sed præter rem per diluvium homines infideles & Ethnicos: Alij nimbos & tempestates graviores intelligunt, quibus Deus præsidet, Ps. 18. 6. & è quibus vox DEI intonare dicitur, Ps. 29. 3. Alij καταστροφὴν de diluvio primi mundi explicant: Sunt tamen qui Baptismum intelligant, quia Davidi propositum sit h. l. (in ultima Ps. particula) statum Ecclesiæ Novi Test. Prophetice indicare, in qua Deus non ad diluvium supplicij, juxta promissum, Gen. 8. 21. sed diluvium gratiosum Baptismi sedeat, in quo omne vitium sepeliatur, & ut Cyprian. ait, omnes nequitiæ vires Diabolus amittat: Verum Baptismum esse diluvium concedimus, & quidem majus quam illud à Mose descriptum, quia plures homines baptizantur, quam in diluvio suffocati sunt, & omnia Dæmonij arma, His merguntur aquis, Quibus ille renascitur Infans, qui captivus erat: sed de illo diluvio esse hujus ψ. vaticinium antequam disputando investigaverimus, nondum inconsideratè affirmamus. Psalmus est ἐπαινετικὸς & hortatur filios potentum, h. e. potentissimos quosq; ad celebrandas Dei laudes, v. 1. cum propter documenta potentiæ in natura conspicuæ à v. 3. ad 11. inter quæ non est ullum magis conspicuum, quam illud quo Dominus ad diluvium consedit,

v. 11. & filios אלהים potenter excîdit, tum propter documenta gratiæ in Ecclesia conspicua, præcipue pacis & benedictionis (ubi nullum vaticinium) Secundum literam ergo nisi evidenti argumento cispellar, diluvium mundi intelligendum esse censeo. Hæc de potioribus Baptismi appellationibus, quibus Mantissæ loco appono seqq. Theoremata:

I. Quâ formam Baptismus lotio est facta in nomine Trinitatis, &c. Matt. 28. 19. *sive immersio sit in aqua, sive aspersio perinde est*: Βαπτισμὸς enim ex usu S. S. (quicquid sit de vocis impositione) non immersio solum, sed & aspersio est: Nam Βαπτισμὸς Vet. Test. Eb. 9. 10. aspersione quoque fiebat, Ex. 24. 6. Num. 19. 18. Iudith. 12. 7. Mar. 7. 4. Eb. 9. 13. *Baptismus Sp. fit aspersione sanguinis Christi*, 1 Pet. 1. 2. Eb. 10. 21. & *effusione donorum*, Act. 2. 16. Joel. 2. 28. *Baptismus maris non erat immersio in aquas* 1. Cor. 10. 2. *Sic* & lavacrum aquæ *aspersione fieri posse passim constat, vid.* Ioh. 9. 7. *Baptismus autem est lavacrum aquæ*: *Viderint ergo quo præsidio nitantur, qui ex voce* Βαπτισμὸς *pro immersione usurpanda immaturè contendunt; Viderit* Pistorius *quid dicat, quando frustra opinatur aspersionem Baptismi non è S. S. (sed è traditionibus) probandam esse: viderit* Bellarminus, *quid monstri alat, quando certam verborum recitationem dicit esse formam Sacramenti, idq; fusè* l. 1. de Sacram. c. 13. *Quid verò? Baptismus sit, si quis aquam solemni verborum recitatione, vel maximè consecret neminem tamen aqua vel tingat, vel abluat?*

II. Quâ rem terrenam Baptismus ex sola aqua non ex quovis alio liquore est: *Serio detestamur temeritatem quorundam, suo arbitrio ausam Christi Domini institutionem figere atq; refigere: Nihil sanctius, tutius, rectius nobis est, quam unica Christi auctoritate contentos esse, Baptismus enim est*

lava-

lavacrum aquæ! Eph. 5. 26. *Ex aqua*, Joh. 3. 5. *id eoq; ratione materiæ dicitur aqua*. 1. Joh. 5. 6. *Baptismus autem ex quovis alio liquore non est lavacrum aquæ, non est ex aqua, neq; (ratione materiæ) aqua dici poterit, quia dici requirit inesse: Non E. est Baptismus: Dein! Pars sacramenti (sicut & ipsum totum) habere debet verbum Institutionis: Peregrinus verò liquor, cujus etiam cunq; valoris sit, non habet verbum Institutionis, E.*

III. *Quâ rem cælestem*, Baptismus non ex mera aqua constat: *quod contra* Schmaltz. *est, â quo non procul abit* Muscul. in Loc. p. 691. *Est enim lavacrum aquæ in verbo*, Eph. 5. 26. *constans ex aqua & Spiritu*, Ioh. 3. 5. *postquam enim aqua vocationem Dei hic percepit, ut* Iren: *loquitur, ab usu vulgari ad sacramentalem separatur, & licet natura ejus non mutetur, gratia tamen ei apponitur, novumq; suscipit officium, ut sit organon, medium, & vehiculum rei cælestis, cum aqua sacramentaliter unitæ*: De qua re cælesti, *quid statuendum, rogati sententiam dabimus in ipsa διασκέψει.*

IV. *Quâ efficientem*: Baptismus a Deo institutus est: *Audaculos illos, qui fanatico furore adacti Baptismum pedibus conculcant, & quasi regnum obtineant soli, pro sua auctoritate Christi Domini verba & facta temerare & refigere satagunt, novos puto Photinianos. Bapt. epitheta considerare jubeo, quod dicitur* 1. Consilium *h. e. præceptum Dei de salute nostra*, Luc. 7. 30. *utpote Johanni injunctum*, Ioh. 1. 33. 2. Lavacrum *regenerationis*, Tit. 3. 5. *& sic medium ad salutem necessarium omni creaturæ rationali*, Mar. 16. 16. *omnibus gentibus adusq; consummationem seculi*, Matt. 28. 19. *omnibus iis qui sunt ἀπὸ μακρὰν*, Act. 2. 39. *sine quo nemo potest introire in regnum Dei*, Ioh. 3. 5. 3. Baptisma pœnitentiæ *in remissionẽ peccatorũ*, Mar. 1. 4. Act. 2. 38. c. 22. 16. *& sic mysteria*

sterium Dei, 1. Cor. 4. 1 cujus solum est media remissionis peccatorum & salutis, sancire, quia ejus solum est salutem conferre: Inventis enim humanis frustra colitur Deus, Matt. 15. 9. Es. 29. 13. multo minus remissio peccatorum impetratur. 4. Lavacrum aquæ in verbo, mandati, sc. & institutionis, Eph. 5. 26. 5. ἁγιασμὸς, Ioh. 3. 25. non sordium corporis sed mentis, 1. Pet. 3. 21. ideoque aqua munda, Ebr. 10. 23. mentem vero à peccatis purgare nemo potest nisi solus Deus 6. ἐπερώτημα, 1. Pet. 3. 21. ideoque & fœdus inter Deum hominesque; sancitum, sicut & circumcisio erat, Gen. 17. 7. cui Baptismus successit, Col. 2. 11. Observet verò Photinianus hoc argumentum! Media salutis nemo instituere potest, nisi solus ille verus & æternus Deus; εὐδηλον: Christus verò est is, qui Baptismum tanquam medium salutis instituit; quia in ejus nomine pariter ac Patris & Sp. S. hoc est ejus jussu, auctoritate, mandato, Bapt. administrari jubetur, Matt. 28. 19. Est igitur Christus Jesus ille verus & æternus Deus in secula benedictus!

V. Quâ fructum & finem: Baptismus est I. medium gratiæ & salutis conferendæ, non τὸ φυσικὸν, cui vis regenerandi sicut sacculo infusa aut elemento sit impressa, ut olim Monachi hodieque plurimi novelli contendûnt, aut quod ex opere operato & ex vi ipsius actionis sacramentalis conferat gratiam, ita ut fides (licet ut dispositio obstacula tollere possit quæ impedirent ne sacramentum suam efficaciam exereret) ab efficientia gratiæ sacramentalis excludatur, ut vult Bellarm. l. 2. de Effic. Sacram. c. 1. Actio quidem illa sacramentalis ex vi Institutionis confert gratiam, verum non ex vi actionis proximè & immediatè, etiam â parte nostri ita ut fides ab efficientia gratiæ excludatur, sed fide mediante quæ per Sacramenta collata aut aucta gratiam Dei in verbo præmissi quærit & apprehendit; Neque 2. Μεσουμικὸν, quod Baptismus non verè regeneret

Sed

sed regenerationem solum signet & figuret; Ita enim causa cum signo confunditur â SS. sensu literali temerè disceditur, neq; obscurè illa perplexitatis arguitur, quasi de Sacramentorum efficacia nunquam sit propriè locuta, sed semper impropriè, quod regeneret &c. cum tamen regenerationem solum significet: Sed 3. ὑπερφυσικὸν *sive sacramentale, vel ut vocant morale, quod non ex vi peculiariter impressa, neq; ex opere operato, neq; eo solum modo salvat, quasi, ut alij perversè nostram sententiam citant, oculis solum promissionem subjiciat & ita fidem excitet sed ex vi Institutionis divinæ, & assistente Sp. S. gratia, qui per Baptismum fidem incendit & gratiam confert, in Infantibus quidem perpetuò in adultis verò aliquando, & tum demum, cum Sp. Sancto malitiosè non repugnaverint: Est enim Baptismum lavacrum,* Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. λουτρὸν παλιγγενεσίας, Joh. 3 25. *aqua munda (ab effectu)* Eb. 10. 23. Ezech. 36. 25. *quid verò purgat nisi peccata? Non est enim ablutio sordium corporis* 1. Pet 3. 21. *Imò verò est lavacrum regenerationis,* Tit. 3 5. *ex quo regeneramur,* Joh. 3. 5. *quo mundamur,* Eph. 5. 26. *remissionem peccatorum impetramus,* Marc. 1. 4. Luc. 3 3. Act. 2. 38. c. 22. 16. *& baptizamur in meritum Christi,* Rom. 6. 3. *Christum induimus,* Gal. 3. 27. *in fœdus Dei recipimur,* 1. Pet. 3. 21. *salvamur,* Mar. 16. 16. Joh. 3. 5. *Qui effectus Bapt. vere competunt quidem, non tropicè, non Metonymicè, nec tamen physicè & ex opere operato, E. eo quo jam dictum est modo, Sacramentaliter sc. moraliter & hyperphysicè.*

VI. Quâ fructum: Baptismus II. est Gratiæ jam collatæ sigillum: *Non opus est ut eo nomine Lutherum jugillet,* Bellarm. in præf. ad l. de Sacr. *in quonam Evangelista, Propheta, Apostolo id legerit, quod Sacramenta sint sigilla: En habes! Baptismus est* ἐπερώτημα, 1. Pet. 3. 21.

quia

quia ex illo oritur pax & quies conſcientiæ, & reſponſio bonæ conſcientiæ, & etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia ad Deum accedere, *quæ ipſiſſima* Bellarmini *verba ſunt*: *At quomodo pacem illam firmare poterit in cordibus noſtris, niſi teſtetur de gratia DEI eamq; confirmet quaſi & obſignet? Imò verò Baptiſmus eſt* Teſtimonium *de gratia DEI & beneficiis Chriſti nobis partis*, 1. Joh. 5. 6. *Quidni ergo illud legerit in Apoſtolo aliquo B. Lutherus? Sed hactenus: pluſcula alia erunt addenda latiusq; deducenda, ſi DEUS volet, Diſputationi poſteriori.*

DEO ſit gloria.

Ornatiſſimo ac Doctiſſimo Dn.
Reſpondenti.

QUid, quæſo, melius, quàm ſanctum dogma tueri,
Quod certam nobis monſtrat ad aſtra viam?
Accelera, hoſtis adeſt, nec non ſpolia ampla reporta,
O Henrice! Tibi porriget arma Deus.
Nil cura ronchos ſtolidi, nam pro duce Chriſto,
Qui certat, tandem digna brabéa refert.

Amoris ergò f.
ZACHARIAS Rottman/
Hervordiâ VVeſtphalus.

יהוה

De

BAPTISMO

Dissertatio Posterior

Resp.

ZACHARIA Rothman /
Hervordiano.

DE potioribus *Baptismi appellationibus Scripturæ sanctæ usitatis me vidi dissertatione priori, Hac posteriori rem aggrediar, & πραγματολογίαν ut vocant, aliquot sectionibus tractabo, quarum* I. de Materia, *sive Re Baptismi terrena & cœlesti,* II. De Forma III. De Autore IV. De Ministro *sive dispensatore* V. De Fructu & Fine Cujus, VI. De Fine *Cui sive Subjecto,* VII. De Accidentibus *& Circumstantijs, & demum* IIX. de Definitione *Baptismi erit. De singulis ita disseram, ut* D. Hieronymi *exemplo propositum meum fuisse videatur,* probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non discedere.

SECTIO. I.

De Materia Baptismi

Baptismus, ut materialiter *consideratur, est totum quoddam Sacramentale è re terrena & cœlesti, visibili & invisibili sola Dei virtute*

confla-

conſtatum, Eſt enim Sacramentum viſibile verbum ut Auguſt. *ait* l. 19. contra Fauſt c. 16 *ubi verbum accedit ad Elementum ut fiat Sacramentum, ut ait* idem tr. 80. in Johann. *Ad hanc rem pono ſeqq. propoſit.*

Propoſ. I. Res viſibilis in Baptiſmo eſt Aqua proprie dicta, *h. e. vera naturalis, elementaris, abluendo corpori apta: Hæc enim ſola rerum viſibilium Dei vocationem percipit in hoc Sacramento, ut innuitur* I. Inſtitutione Baptiſmi *tum* Johannis *qui miſſus eſt ad baptizandum in aquâ* Joh. 1. 33. *verbo Domini impulſus* Luc. 3. 3. *non ſuo invento, quaſi ut* Bellarm. *nugatur* l. 1. de Bapt. c. 20. ritum in particulari quo baptizandum ſit, ipſe inſtituerit non à Deo præſcriptum acceperit, *ſicut etiã aqua ſolũ non alio liquore primũ in Iordane* Joh. 1. 26. Matth. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Act. 1. 5. c. 11. 16. *poſt in Aenon ubi erant aquæ multæ* Joh. 3. 23. *baptizaſſe legitur*, tum Apoſtolorum, *qui juſſi ſunt* βαπτίζειν, *h. e. aquâ tingere* Matth. 28. 19. *ad cujus mandati tenorem etiam poſt non niſi aquâ baptizarunt* Act. 8. 36. c. 10. 47. 1. Cor. 1. 16. *Aqua ergo ſolum habet verbum mandati & inſtitutionis, reliqui vero liquores præter aquam non habent: Et ſic aqua ſolum poteſt eſſe inter res viſibiles pars ſacramenti, reliqui vero liquores non item: Ab inſtitutione enim & vocatione divina Sacramenta & Sacramentorum partes in ſolidum dependent:* II. Deſcriptione Baptiſmi, *quia eſt aqua* 1. Joh. 5. 6. *aqua munda* Ebr. 10. 23. *Ex aqua* Joh. 3. 5. *lavacrum aquæ* Eph. 5. 26. *At Baptiſmus è peregrino liquore non poteſt dici, aqua quia dici requirit ineße, neq; eſt ex aqua, neq; eſt lavacrum aquæ: Non igitur Baptiſmus eſt: Item qui non eſt renatus ex aquâ & Spiritu non introibit regnum cœlorum: At qui lotus eſt ex alio præter aquam liquore non eſt renatus Ex aqua. Ergo &c.*

προσισμ. I. Aquam non licet aſpernari in Baptiſmo aut loco aquæ peregrinos liquores ſufficere: *Nihil namq; ſanctius, melius, tutius, quam unius Chriſti autoritate nos eße contentos, ait optime in hanc rem* Calvin. l. 4. Inſtit. c. 15. *Errant ergo 1.* Seleucius & Hermias, *qui circa annum Chriſti 380. è verbis Johannis Matth. 3. 11. Igne baptizandum eſſe contenderunt, quos imitantur hodieq;* Jacobitæ, *qui crucis figurâ ferro candente frontibus impreſſa, &* Abyſſini *ſubditi pretæ Chianni ſive Iohannis presbiteri ut vocant, Aethiopum dominatoris, qui olei Achalecinte dicti guttulis igne accenſis, & Baptizando infanti absq; detrimento juperinfuſis, baptiſmum adminiſtrant, 2.* Flagellantes Monachi

bathi qui Circa annum Christi 1260. ubi maximâ fame orbis laboravit, in Thuscia primum nati, asseruerunt aquæ Baptismum cessasse, & incepisse Baptismum sanguinis, Christum miraculo eo, quod aquas in vinum converterit, significare voluisse, quod sub finem Mundi aquæ Baptismus cessare, sanguinis vero Baptismus incipere debeat, Nullum item, qui suo ipsius sanguine Baptizatus non sit, salvari posse. 3. Valentini Philosophi primum Platonici, post hæresiachæ pessimi (qui vixit circa annum Christi 145 sub Antonino Pio) sectatores & discipuli, qui aqua & oleo mistis baptismum administrarunt, post baptisatos opobalsamo inunxerunt. 4. Pauliciani qui pro Elemento aquæ verba Christi Ego sum aqua viva Ioh. 4. 14. substituerunt 5 Manichæi, qui aquam à malo Deo ortam arbitrati sunt & tanquam rem malam abominati in Baptismo adhibere noluerunt. 6. Baptistes ille, qui judæum quendam in locis aridis & desertis ubi iter faciebat, morbo repente lethali correptum sabulo in vicem aquæ suffecto baptizavit, eo successu, ut miraculosa sanatio subsecuta sit, apud Nicephor. Ubi tamen Ecclesiæ visum ut aqua insuper ad eum modum juxta Ecclesiæ traditionem ablueretur, ut idem Niceph. autor est. 7. Quidam temerarii qui nostris seculis sese non minus alio liquore quam aquâ rite baptizaturos confisi sunt, ut Beza cumprimis & Moscorovius, quibus quendam Calvini ministrum addit Maldonatus: Audivi inquit in cap. ult. Matt. his meis auribus quendam Calvini ministrum similia Seleuco & Hermiæ dicentem nostramq; ridentem, ut ille vocabat, simplicitatem & ignorantiam, quod crederemus Baptismum necessario debere aqua constare, Non enim inquiebat magis aquâ quam Igne constare debet, cum pluribus locis Christus igne quam aqua baptizaturus dicatur. Vere an falsò hæc narret, ipse viderit, qui testes non nisi suas aures odio interdum magis quam conscientiæ indulgentes commendat: 8. B. Luthero hîc quoq; aurem vellicant Iesuitæ, Bellarm. Becan. Valentia, quasi dixerit omne id in Baptismo sufficere quod nomine balnei venire possit, Unde ait Becan. de Sacr. c. 8. q 2. Baptismus in cereviſia lacte vino secundum Lutherum validus esset. Verum si calumniari, & mentiri licet quis innocens erit! Bene est, quod & hic testem non nisi colloquia Symposiaca librum à Luthero nec visum nec lectum nec probatum, commendent: Audiant Lutherum tom. 7. Jen. Germ. Esto, ait, persona sit impia & incredula dummodo institutionem Christi inviolatam

servet, & non vino, cerevisia, lixivio, vel alia quapiam re, sed aqua cum adjuncto Dei verbo utatur tunc est & vocatur sacrum Baptisma. *Ipsi potius domi cadaver habent cui lacrymas impendant, domi habent, quos fugillent*, Thomam & *asseclas qui carnium jusculo, modo non sit nimis pingue*, Sotum *qui cerevisia levi hordei decoctione facta*, Guidonem de Monte Rocherij, *qui urina*, Tolet. Becan. Valent. *aliosq; plures, qui lixivio baptizari legitime posse contendunt. Verum Homines isti in alio vident quæ nusquam sunt, domestica & è propinquo sua non vident. In alienis cernunt acutissimè, in suis sunt illi Horatiano similes, qui sua pervidebat* oculis male lippus inunctis.

ποεισμ. 2. Aqua non elementaris & ab abluendum non satis apta non est debita materia: *qualis est aqua artificialis, è floribus aut herbis extracta, aqua rosacea, aqua Chymica, aqua supernatans emisso sanguini: Saliva, sudor, lacryma, aqua vino mista: Nix, glacies, lutum humidum, & si quæ sunt alia &c.*

ποεισμ. 3. Aquam consecrare certis exorcismis ad Baptismum nihil opus est, *Aquam ad Baptismi sacramentum institutam esse legimus quidem, verum consecratam esse, aut necessario consecrandam esse non legimus: Sufficit nobis verbum institutionis, & vocatio divina, quæ aquam consecrat plus satis, ut debita materia esse possit.* Pontificij ergo, *uti solent ineptiunt, quando addito mysticæ benedictionis oleo primum aquam consecrant in vigilijs Paschæ & Pentecostes, ut apta baptismo esse possit*: Bonaventura *extra necessitatis casum*, Toletus *vero absolutè asserit mortaliter peccare eum, qui aquâ non benedictâ baptizat, usq; adeo necessariam habent hanc consecrationem, quæ tamen verbo, & exemplo caret, ipsiq; aquæ derogat, tanquam bonæ Dei Creaturæ, exorcismis omnino nullis egenti.*

Propositi. II. Res cœlestis sive Invisibilis in Baptismo cum aqua verè & realiter, mystice tamen & sacramentaliter unita dici solet vel nomen Dei Patris Filij & Sp. S. vel verbum ordinationis, vel Sanguis Christi, vel Sp. Sanctus: *Quod* Nomen Trinitatis *sit res illa cœlestis constat ex peculiari Dei ordinatione, quæ nomen illud aquæ ad constituendum sacramentum adjunxit* Matth. 28. 19. ut Iam. B. Luth. *verbis* nomen DEI cum aqua Baptismi sit plane unum inseparabiliter mixtum, possitq; aqua Deificata aut divina vocari: *Quod* verbum ordinationis *sit res cœlestis dicit assertio*

Pauli

Exuli Eph. 5. 26. *quod Baptismus sit lavacrum aquæ in verbo. h. e.* ut B. Luth. *exponit* non simpliciter aqua, sed aqua mandato Dei septa & verbo Dei comprehensa, *aqua diluendis criminibus per verbum Dei sanctificata*, ut Hugo *ait, aqua Munda*, Ebr. 10. 23. *aqua salutaris, aqua Domini, aquæ vitæ, aqua non creatoris sed salvatoris*; separato autem verbo non alia est aqua, atq; illa quâ in culina utimur sed conjuncto verbo sicut Christus ordinavit & instituit Sacramentum est, & Baptismus dicitur: *quæ itidem* Luth. verba sunt in Catech. Mai. *Quod* Sanguis Christi *pertineat ad rem cœlestem constat inde, quia nomen quoq; filij, sub quo sanguis Christi comprehenditur ex Dei ordinatione aquæ annexum est* Matth. 28. 19. *Unde* baptizari, *quod itidem* B. Luth. *ait*, est roseo illo & pretioso Christi sanguine lavari ac mundari, Baptismus nobis intuendus est ut merus sanguis Christi *&c.* Es ist für jhm ein rothe flut/ mit Christi Blut geferbet / *ut ait Cantio nostra.* *Quod* Spiritus sanctus *ad rem cœlestem pertineat, itidem docetur ex ordinatione Dei quæ nomen Spiritus aquæ adjunxit* Matth. 28. 9. *& regeneratione quæ fit ex aqua & Spiritu* Joh. 3. 5. *Unde* Cyprian. Sp. S. *ait*, rem Baptismi consummat & perficit: *Basil.* Cum istud Elementum acceperit Sp. Sanctum fit Sacramentum, B. Luth. Baptismus, ait, nobis intuendus est, ut merus Ignis Spiritus Sancti, ubi Sp. S. igne suo nos abluit &c: *Nostrum non est hodie hæc fusius deducere, & ubi hæ sententiæ coeant aut contra eant demonstrare: Erit id forte alterius loci & temporis.*

ποιεσιν. Baptismus non est Mera aqua, *ut cum aßeclis* Schmaltz. *furiose contendit, cui nil tremendum nil admirandum est in Baptismo, sed habetur solum ut nuda ceremonia & mera aqua. Viderit* Musculus *ne dexteram ijs porrigat, cui* Sacramentum est Elementum & figura externa ut in Baptismo aqua in Loc. p. 691. *Contra est* Joh. 3. 5. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5.

Sectio II.

De Forma Baptismi.

Baptismus ut formaliter *consideratur tribus q. actibus in esse suo absolvitur: 1. Unione Sacramentali, quam formam internam vocant, 2.*

verborum certa recitatione juxta institutionem Christi, & 3. factam per aquam ablutione, quam formam externam appellant. Hic pono seqq. propos.

Propos. 1. Unio Sacramentalis inter Aquam & Rem cœlestem vera & realis, attamen mystica est, *qua per solam Dei virtutem ad unum salutare Sacramentum in usu legitimo ita copulantur, ut exhibito uno visibiliter, vere quoq; licet invisibiliter, & alterum conferatur, homini q; baptizato Sacramentũ salutare esse possit. Est enim Baptismus lavacrũ aquæ* in *verbo* Eph. 5. 26 *lavacrũ ex aqua & Spiritu* Joh. 3 5. *lavacrũ regenerationis* Tit. 3. 5. *Oportet ergo aquã adesse ut lavacrũ sit, nã sine ea lavacrũ non esset, ut vero regenerare & salvare possit Verbum & Spiritũ adesse necesse est, sine quo regenerandi & salvandi virtutem non haberet: Ut ergo unum salutare lavacrum regenerationis fiat, aqua & spiritus ad unum Sacramentum constituendum uniri debent, quorum illud lavandi hoc regenerandi vim habet, Unde fit ut aquæ officium in hoc sacramento non sit naturale quod est abluere corporis sordes, quia eo fine non percipit Dei vocationem sed sacramentale, quod est esse ὄχημα atq; vehiculum rei cœlestis, quæ facit ad ablutionem sordium animæ: ut testis est Petr. 1.* Epist. 3. 21. *In hoc usu enim aqua non creatoris sed salvatoris est, cui nomen, virtutem, potentiam, majestatem & gratiam adjunxit DEus, sicut alicubi ait* B. Luth.

προσμ. 1. Unio inter Aquam & rem cœlestem non est analogica & relativa, quæ in relatione signi ad signatum consistat, *h. m. sicut aqua corporis sordis exterius purgat: Ita sanguis Christi à peccatis animam purgat interius: Analogiam quandam largimur quidem, eamq; ὁλικὴν, quâ totum sacramentum referatur ad suos fines, sed illam μερικὴν pro qua tam analogice præliantur Calvini sectatores, quam pulcerrimam appellant, in qua esse sacramenti constituunt, quam in nuda partium sacramentalium analogi. sive proportione inter sese constituunt, & in quâ aquæ officium Sacramentale unicè ponunt, illam inquam analogiam partialem negamus: militat enim contra propria illorum hypotheses, contra S. S. locutiones, & confundit finem sive usum cum forma Baptismi uti alibi fusius ostenditur.*

προσμ. 2. Res cœlestis confertur sacramentaliter baptizato, *Hypocritæ cumprimis quoad obligationem beneficiorum, quoad ratificatio-*

tificationem & obsignationem fœderis ex parte Dei, & quoad judicium, Posito enim quod baptizetur talis, Quid accipit præter aquam? Non gratiam Dei, non remissionem peccatorum, non regenerationem, quia impius & hypocrita est, non characterem qui Pontificiorum figmentum est! Nec tamen accipit meram & nudam aquam; Ergò unâ cum aqua rem cœlestem, ut quæ pars essentialis Baptismi est, sine qua Baptismus non est Baptismus sed mera aqua, quæ aquæ sacramentaliter unita *est, ideoq; confertur baptizato eo modo quem dixi, tum* quoad obligationem, *quod vi promissionis per hoc Sacramentum in eo, nisi resistat ad salutem velit esse efficax, tum* quoad obsignationem *fœderis, quod vi pacti semel initi aditus illi perpetuus ad gratiam in Sacramento semel oblatam pateat, tum* quoad judicium, *quod per Bapt. in incredulis exercet.*

Propos. II. Verborum certa recitatio juxta Christi institutionem fieri debet, *qui baptizare jussit* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος Matth. 28. 19. *Quorum verborum emphasis ut accuratius intelligatur, observa:* I. *Diversa dicendi genera de baptizandi ratione in S.S. visitata, ut sunt:* 1. Baptizari εἰς μωσῆν in Mosen. 1. Cor. 10. 2. *ubi* εἰς *vel est nota instrumenti, & est idem ac per Mosen ut* August. & Piscat. *legunt, aut Mosis Ministerio, ductu auspiciis,* quia duce Mose feliciter mare transierunt & erepti sunt à morte *ut* Ambros *exponit, vel ut* Oecumen, quia intuiti illum in maris divisiones ingressum imitari sunt, hujus itaq; rei tanquam primarius dux eis factus est Moses, *vel ut* Chrysost. quia Judæi confisi sunt h. e. viderunt eum primum mare transeuntem, & sic etiam ipsi mari se credere ausi sunt, *quomodo & Syrus* בידא דמשה *in manu h. e. in ministerio Mosis, Manus enim ministeriū frequentissime significat, ut in manu Malachiæ h. e. per Malachiam* Mal. 1. 1. *in Manu Haggæi &c:* ἐν χειρὶ ἀγγέλου Act. 7. 35. διὰ χειρὸς Βαρνάβα Act. 11. 29. *Eodem loquendi modo populus dicitur in Deum & Mosen credidisse* Ex. 14. 19. *h. e. in Deum per Mosen sicuti* Mar. 1. 15. *credere jubemur* ἐν τῷ εὐαγγελίῳ *ubi part.* ἐν *aut redundat, aut posita est pro* διὰ: *&c: Vel part.* εἰς *hic est nota causæ finalis, ut in Mosen sit idem ac in doctrinam ac legem Mosis, quia miraculoso, illo baptismo obligati sunt ad doctrinam & mandata per Mosen promulgata, magisq; confirmati, quod Moses sit servus domini, cujus doctrina utpote cœlitus delata sit sancte ser-*

vanda.

vanda. II. Baptizari in Christum εἰς χριστὸν Gal. 3. 27. εἰς χριστὸν ιησοῦν. Rom. 6. 3. *& est in fidem, doctrinam, confessionem, cultum Christi baptizari, baptismo ad fiduciam, cultum & confessionem Christi obligari, per Baptismum Christo insori, ejusq; membrum fieri, in ejus similitudinem transformari, & vim ejus percipere extinguendo peccato, & restaurando novo homine.* III. Baptizari in nomine Domini Jesu Christi, ἐπὶ τῷ ὀνόματι ιησοῦ χριστοῦ Act. 2. 38. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ιησοῦ c. 10. 48. εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ιησοῦ c. 19. 5. c. 8. 16. *Hanc phrasin de forma Apostolis in Baptismo usitata intelligunt* Aureolus, *qui ex dispensatione,* Thomas, Eccius, Hartingus, *alii q; scriptores Pontificij (communiter enim hoc receptum esse asserit* Valent. d. 4. 3. 5. p. 3. p. 773.) *qui ex peculiari privilegio & revelatione Apostolos baptizasse putant in nomine Christi, quos è Photinianis* Socinus Schmaltz Ostorod. *pariter imitantur: Verum* nihil constat de peculiari illa revelatione & cum aliqui dixissent Paulo Act. 19. 2. neq; si sit S. S. audivimus, subjunxit Paulus, in quo ergo baptizati estis, quibus verbis indicat in ipsa forma Baptismi nominari solitum Sp. S. *ait Becan. c. 8. de Sacr. in Sp.q. 3.* & nondum penitus compertum est, quod Apostoli baptizarint in nomine solius Christi & non etiam nominarint alias personas, ad conciliandã enim Christo autoritatem & fidem satis esse poterat Evangelistæ, si indicet Christi nomen esse usurpatum in Baptismo Apostolorum licet nominarentur simul aliæ personæ, & Basil. ait q. per compendium in S. S. Baptismum administratum dici in nomine Christi, quod Christi appellatio sit totius Deitatis professio, *quæ verba sunt* Valent. supra cit. l. *& similia ferme habet* Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 3. §. neq; illa. *Quod ergo baptizasse leguntur Apostoli in nomine Christi, illud non formam Apostolis in Baptismo usitatam exprimit, sed autorem Baptismi exprimit, per quem Deus ritum hunc instituit & commendavit Apostolis, & confessionem baptizandorum respicit,* quia enim, *ut* Enjedin. *ipse explicat,* Iudæi Iesum pro Messia agnoscere noluere, idcirco qui tandem conversi Christum Messiam agnovere, illi dicti sunt baptizari in nomine domini Iesu Christi, invocato nomine Domini Iesu, quem antea cognosce detractarunt & persecuti sunt, *ut facile colligere licet ex* Act. 2. 37. 38. c. 8. 12. 16. c. 10. 48. c. 19. 4. *& omnium maxime ex* c. 22. 16.

Unde

Vnde Corn. à lapide in Act. c. 2. & Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 3. *suspicantur*, Apostolos fortasse primis illis temporibus addidisse nomen Iesu Christi dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris & filij Jesu Christi & Sp. S. ut huic novo nomini fidem amorem & reverentiam conciliarent. IV. Baptizari in Christi mortem Rom. 6. 3. *est Baptismo vim mortis Christi percipere & acquirere, non tam quoad meritum, ut peccata nobis remittantur, quâ etiam quoad efficaciam Sp. S. quem Christus sua morte nobis impetravit ut naturæ reformetur.* V. Baptizari in remissionem peccatorum Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 38. *est Baptismo remissionis peccatorum participem fieri*: Bellarm. *quidem cum de Baptismo Johannis sermo est, phrasin aliter interpretatur, quod sc. non contulerit is Baptismo suo remissionem peccatorum, sed provocarit solum ad pœnitentiam, quam demum consecuta sit peccatorum remissio*, l. 1. de Bapt. c. 23. *sed, ipso Bellarm. autore, Baptismus Johannis fuit causa contritionis* l. 1. de Bapt. c. 21. *Contritio est causa remissionis peccatorum, eodem autore* l. 2. de pœnit c. 12. &. 14. obj. 3. *Quid ergo sequitur aliud nisi, quod Johannis Baptismus fuerit causa remissionis peccatorum! causæ enim causa cur non sit causa causati? Et quidni potuisset Johannis Baptismus remissionem peccatorum conferre, qui potuit regenerare* Ioh. 3. 5. *& iræ futuræ subducere* Matth. 3. 7. Luc. 3. 7. *Vide* differt Prior. n. 3 §. 15. seqq. VI. Baptizari in Johannis Baptisma Act. 19. 3. *non est Johannis doctrinam edoctum, aut in Schola Johannis eruditum esse, quam sententiam Bezæ & Bucero (quam verè ipse viderit) affingit* Cornel. à lapid. *neq; est in Johannis nomen & professionem baptizari, q. Messias fuisset, quod quidam perquam absurdè opinantur, sed vel est idem ac Iohannis Baptismate tinctum esse, ut eis sit nota instrumenti, vel in doctrinam Iohannis de Messia, quam annunciabat, & Baptismo obsignabat, baptizari, eamq; adhibito Baptismo complecti, ut eis sit nota causæ finalis*, VII. Baptizari in unum Corpus per unum Spiritum 1. Cor. 12. 13 *est in Christo capite per Baptismum coalescere, & membrum fieri corporis mystici, quod est Ecclesia* IIX. Baptizari Sp. S. & igne *quid sit vide differt. pr. n. 1. §. 10.*

Observo II. Quid sit h. l. illud In nomine alicujus facere *vel fieri: In scripturis enim 1. in nomine alicujus venire aut mitti dicitur qui alterius partes & vices q. legatus sustinet, quomodo Sp. S. dicitur mittendus in nomine Christi* Ioh. 14. 25. *quia pro Christo, loco Christi e-*

sus partes gerere, & quæ Christus fecerat, confirmare & docere debebat. Conf. Joh. 5. 43. Marc. 9. 37. 2. *In nomine alicujus fit, quod in ejus gratiam, propter ejus meritum & intercessionem fit, quomodo petimus, in nomine Christi* Joh 14. 14, c. 16. 23. *vitam habemus in nomine ejus* Joh. 20. 31. Act. 4. 12. *remissionem peccatorum accipimus per nomen ejus.* Act. 10. 43. 1. Joh. 2. 12. *justificamur in nomine ejus* 1 Cor. 6. 11. *h. e. per & propter Christi meritum vera fide apprehensum &c* 3. *In nomine alicujus facere dicitur qui virtute, jussu autoritate, efficacia alicujus facit: ut* Ex. 5. 23. Deut. 18. 20. Matth. 7. 22. Marc. 9. 38. 39. Luc. 24. 47. Act. 3. 6. c. 4. 7. 17. 18. *quomodo & Paulus ἐν προσώπῳ Χριστοῦ h. e. Christi autoritate & virtute, cujus legatus erat se condonasse asserit* 2. Cor. 2. 10. 4. *In nomine alicujus facit, qui invocatione imploratione, auxilio alicujus agit,* Col. 3. 17. Matth. 18. 20. 1. Sam. 17. 45. 2. Sam. 6. 18. 1. Reg. 18. 24. 32. 2. Par. 14. 11. Psal. 44. 6. Psal. 118. 10. 11. 12. 5. *In nomine alicujus agit, qui in laudem & gloram alterius agit, qui sensus phraseos colligi potest* ex Col. 3. 17. 2. Thess. 1. 12. Matth. 18. 20. &c: *Quid ergo sit Baptizare in nomine Patris filij & Spiritus S. facile constat, eo enim ipso innuitur tum* institutio Baptismi, *quod in nomine Dei h. e. jussu, autoritate, mandato Dei non vero privato arbitrio aut ullius hominis autoritate dispensetur, tum* vocatio ministri, *quod in nomine Dei h. e. non temerè & suo ausu sed loco Dei in persona Dei, ut Dei legatus hoc mysterium dispenset, pro quo legatione fungitur* 2. Cor. 5. 20. *& in cujus persona agit,* 2. Cor. 2. 10. Non dicit *(minister) ait* B. Luther. Ego baptizo te in nomine meo, q. d. id quod facio non mea autoritate sed vice & nomine Dei facio, ut non aliter habeas ac si ipse Deus visibiliter feciffet: Autor & minister diversi sunt, sed opus idem utriusq; , imo solius autoris per ministerium meum, sic enim arbitror, in nomine referre personam autoris, ut non tantum sit nomen Domini prætendere, & invocare in opere, sed ipsum opus tanquam alienum alterius nomine & vice implere: *tum* invocatio Dei *super baptizatum, quod in nomine Dei, h. e. facta invocatione nominis divini, ut in hac actione à sese instituta, gratia sua, juxta promissum adesse, baptismo utentem regenerare, in gratiam recipere, in filium adoptare, à peccatis abluere, Sp. S. super eum effundere, & fœdus gratiæ cum eo inire velit, Baptismus administretur: tum* obligatio baptizati *ad Deum religiosè colendum, quod*

εἰς τὸ ὄνομα h. e in cultum, fidem obedientiam & professionem unius illius veri & æterni DEI patris, & filij & Sp. S. baptizetur. *Quia vero juxta Christi institutionem in nomine Patris filij & Sp. S. baptisandum est, verba illa non temere omitti aut alijs in eorum locum suffectis mutari, sed ut Christus instituit, claris & sensibilibus verbis expresse significari debent: Ad quam expressam signisicationem requiritur,* 1. ut personæ quatenus personæ tales in se sunt, pater sc. filius & Sp. S. per verba significentur, *quæ ex usu aut naturâ primario & formaliter personas sub ea ratione significent, qualia sunt Pater filius & Sp. S. &* 2. Ut virtus autoritas & præsentia gratiosa personarum, quatenus sunt autor princeps Baptismi, & in ejus actione gratiam conferunt, expresse significetur, *quod sit illo verbo, in Nomine. Etsi enim Magicam vim illi verborum recitationi non assingamus, nostrum tamen non est temere & pro lubitu formulam à Christo præscriptam reijcere, aut in ea quicquam mutare, omnium vero tutissimum est verbis à Christo præscriptis pia simplicitate inhærere, cui, quod trium personarum in sanctissimâ hac actione mentionem fieri voluerit, rationes gravissimas non defuisse certissimum est.*

πόρισμ. 1. E formâ Baptismi evidens Trinitatis assertio est: *tum quod pater filius & Sp. S. sint verus ille æternus & omnipotens Deus: tum quod tres illæ realiter distinctæ personæ Pater filius & Sp. S. sint Unus essentia Deus:* Prius constat: *Quia in cujus nomine baptisamur, is est verus ille prææternus & omnipotens Deus in secula benedictus: Cujus enim nomine baptismus administratur is (ut phrasis indicat) jussu virtute & autoritate sua Baptismum tanquam medium salutis instituit, baptizatum in gratiam recipit, fœdus cum eo init, peccata remittit, vitam largitur & à baptizato religiosè invocari debet: Pater vero, Filius & Sp. S est is, in cujus nomine baptisamur. Ergo:* Posterius: *Is in cujus nomine baptisamur, est Unus essentiâ Deus: præterquam enim, quod verus Deus non sit nisi unus, & vero is in cujus nomine baptismus dispensatur sit verus Deus, proinde & unus, jubemur baptizari* non in nominibus sed in nomine, *ut unum Dei nomen, una virtus, majestas, autoritas & omnimoda ὁμοουσία demonstretur, non* aliud hic Patris aliud filij aliud Sp. S. nomen, *ut* ait B Ambr. non plura nomina sed unum nomen, quia una Deitas, *At qui tres realiter distinctæ personæ, ille Pater, & ille filius & ille Sp. S. sunt is in cujus nomine baptisamur:* Non

 enim

enim simpliciter & indefinite verba prolata sunt, sed cum relatione manifestâ, addito singulis articulo, cujus tanta vis est, ut certos quosdam designet, *ait* Socin. illum *nempe* patrem *qui vere genuit ab æterno filium*, illum filium *qui verè ab æterno à patre genitus est*, illum Sp. S. *qui verè, licet ineffabiliter à Patre filioq; procedit: Vera igitur est relatio inter patrem & filium, inter Sp. quoq; S. & inter eas personas à quibus procedit, & sic eadem persona nequit esse gignens genita & Spirata, gignens potius à genito, pater à filio distinguitur ut persona à persona eodemq; modo ab utraq; distinguitur Sp. S. Nam, ut & hoc addam, quomodo in patris & filij nomen baptizamur, eo etiam in nomen Sp. Sancti: Et quorsum distincta fieret Sp. S mentio? quorsum unâ cum patre & filioq; invocari juberetur, nisi esset persona à patre filioq; distincta, sed solum virtus & efficacia Dei? Quis meminit, unquam in S. S. literis distinctè invocari Dei virtutem, sapientiam, bonitatem, quia invocatio pro objecto adæquato habet non nisi personam? Qui ergo à Patre & filio distinguitur, ut in invocatione distincte compelletur & in ejus nomine pariter ut patris & filij Baptismus administretur, & peculiari Symbolo externo sese manifestet, is non quovis modo sed ut persona à patre & filio distinguitur: Spiritui vero sancto hoc competit*, Confer Es. 6. 3. 5. 6. cum Act. 28. 25. 1. Cor. 6. 19. 2. Cor. 13. 13. Ap. 1. 4. &c. *Tres ergo illæ realiter distinctæ personæ sunt unus essentia* DEUS, *quod erat demonstrandum.*

προεισμ. II. Baptismi formula est ἔγγραφος, in solis scripturis sufficienter fundata, *ut traditionibus non scriptis illam firmare nil sit opus: Bellarm.* l. 1. de Sacr. c. 19. & l. 1. de Bapt. c. 3. Valent. d. 3. de Sacram. in gen. q. 1. p. 2. *ex nudâ illâ domini sententiâ non satis constare arbitrantur, neq; evidenter inde probari, hac forma baptizandum esse, In nomine Patris &c: Verum quid verbis illis! Baptizate in nomine Patris &c: aliud arguitur, quam in nomine patris &c. baptizandum esse, & qua autoritate hæc actio perficiatur, qua aqua baptizatus abluatur, indicandum? Quia vero minister sacramentum recte applicat cuiq; individuo, recte dicit*, Ego te baptizo, *sive ut Græcæ Ecclesiæ, in tertia persona*, Baptizetur servus Domini, *quem morem licet, temere non imitemur legitimum tamen censemus, quia præter sonum hic forte nihil interest, cujus in pietatis negotio parvum est momentum, modo res sit salva: Necessum proinde non est, baptizatum à Græco rebaptizari*

propter

propter dubium quia quidam contradicunt, sicut statuit summa Angelica in verbo Baptismus c. 2. q. 8.

προχσμ. III. Baptismus, sine certa hâc verborum forma dispensari nequit: Cinglio *id vulgo tribunt, quod Baptismum statuat esse legitimum, qui sine certâ verborum forma administratur: Accusant quoq; B.* Lutherum Jesuitæ Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 3. & Valent. d. 4 q. 5. p. 3. *quod ratum habeat Baptismum quibuscunq; verbis collatum modo non in nomine hominis sed Dómini detur, quem tamen* Jesuitæ Moguntinenses *accusant, quod negarit esse Baptismum, nisi qui datus sit sub ea verborum forma, quam Christus præscripsit: nec minus* Valentia *de eodem asserit, quod fassus sit non valere Baptismum nisi adhibita prædicta verborum formâ: scilicet! Ut pictoribus atq; Poetis, Ita & Iesuitis, quidlibet audendi, fingendi, mentiendi, semper fuit æqua potestas. Accusant, excusant, ajunt, negant, calidum frigidum eodem halitu efflant, quod in hominibus istis* μυριοπλ. *non est mirum: De Luthero vero nostro quid statuendum, statim subjungam.*

προχσμ. IV. Baptizandum non est sub his formis: Ego te baptizo In nomine Christi: In nomine Trinitatis: In nomine patris & filij: In nomine filij & Sp. S: In nomine Genitoris Geniti, & procedentis ab utroq; *Hæ enim & similibus formis mutatur forma à Christo præscripta, neq; personæ ut sunt in se, distinctè & formaliter juxta Christi institutionem significantur, Quamvis (quod citra aliorum præjudicium dictum velim) ipsum baptismum verum & legitimum esse censeam, qui in sensu verborum institutionis nihil mutavit, ita sc. ut omnes tres personæ Trinitatis intelligantur, licet non exprimantur nominatim, Graviter quidem is peccaret, qui aut temere, aut negligenter aut ignoranter formam Christi expressam mutaret & baptizaret in nomine Christi, aut in nomine Trinitatis, &c. Baptismum tamen ideo non judicarem ... um ut rebaptizatione opus esset, quia non tam ex sono quam sensu verborum diverso instituta à Christo forma mutaretur: Ideo* Nicolaus Papa ad consulta Bulgar. c. 104. de Consecr. dist. 4. C. à quodam Judeo, *ratum esse statuit Baptismum qui in solium Christi expressum nomen datus est, quod etiam communiter statuunt* Canonistæ, *ut testatur* Valent. sæpe cit. l. q. 5. p. 3. *& in illam sententiam citat* Hugonem, Magistrum, Adrianum, Scotum *vero &* Richardum

dicit saltem dubitare an ita valeret Baptismus? Sic Tertull. jussit; inquit ire, (Christus) & docere nationes tingendas in Patrem & in filium & in Sp. S. teste Justiniano Jesuita in c. 6. Rom. Cornel. item à Lap. & Bellarm. ut ante dictum suspicantur addidisse Apostolos ad formulam Baptismi nomen Jesu Christi: Eoq; sensu haut dubiè scripsit B. Luth. l. de capt. Babylon. tit. de Bapt. quocunq; modo tradatur Baptismus modo non in nomine hominis sed in nomine Dei tradatur, verè salvum facit: Ubi non temere hanc formam præscribit, sed ne temere Baptismus ita in nomine Dei administratus rejiciatur & pro invalido habeatur asserit: Ita & Brent. in Catech. cap. de Bapt. verum dicit esse Baptismum si minister post recitatum à Catechumeno Symbolum fidei diceret: Audivi jam ex te confessionem fidei tuæ, quod credas in Deum patrem filium & Sp. S. In hanc igitur confessionem te intingo in aquam, ut hoc signaculo certus sis te esse insertum Christo: Addit tamen, ut Bellarm. quoq; non diffitetur, formam Ecclesiæ usitatam servandam esse. Pontificijs ergo illis & Sententiarijs non assentior; qui Baptismum aut absolute aut sub conditione repetendum esse volunt, si detur in nomine Christi, aut alterius cujusvis personæ, sine expressione aliarum, ut apud Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 3. & Valent. tom. 4. d. 4. q. 1. p. 3. aliosq; videre est.

πορισμ. V. Formæ baptisandi illegitimæ sunt: 1. Calvinianorum illorum qui In nominibus patris &c. baptizarunt, ut ex Eccio autor est Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 3. modo credere huic non sit nefas. Nomen sane hic virtutem, majestatem, autoritatem Dei significat: Ut vero una est Dei majestas, una virtus & autoritas, ita & Unum Dei nomen non plura nomina: 2. Pontificiorum illorum, qui professi sunt verum esse Baptismum etsi Sacerdos diceret, Baptizo te in nomine Patris, filij, Sp. S. & Diaboli, apud Rivet. de Sacram. p. 20. qui item statuunt consistere hanc formam. Ego baptizo te in nomine Patris, filij Sp. S. B. Mariæ & B. Petri, Apud Amesi. tom. 3. contr. Bell. p. 17. 3. Guilielmi, qui personis Trinitatis adjecit Mariam semper virginem apud Gerh de Bapt. §. 93. & Fabij cujusdam Incarnati Theologi Neapolit. qui disputat baptismum ita administratum esse legitimum. 4. Bernhardi qui Ep. 340. ad Henricum, ratum sibi videri putat Baptismum quem quidam contulit ex imperitia in nomine Dei ac Sanctæ

veræ crucis: 5. Arianorum *è quibus Deuterius Barbam quendam baptizavit* in nomen Patris per filium in Sp. S. apud Niceph. l. 16. c. 35. Soz. l. 6. c 26. *alij vero baptismum dispensarunt*, in solo patre vero Deo, in Jesu Christo servatore & creatura, & in Sp. Sancto utriusq; servo, *apud* Athanas. & Hyeron. 6. Aetianorum & Eunomianorum *qui in* nomine Dei increati filij creati, & Sp. Sanctificativi & à creato filio creati *baptizare solebant, ut est apud* Epiphan. hær. 76 *De* Eunomianis *tamen* Socrates *refert* l. 5. c. 23 *quod baptizarint in mortem Domini, quam baptizandi formulam olim in primitiva Ecclesia usitatam fuisse constat* ex Can. Apost. 50. 7. Gnosticorum *qui* in nomine ignoti patris omnium, & in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Jesu, ad unitionem & redemtionem & communionem virtutum baptizabant, *ut est apud* Iren. l. 1. c. 18. Epiphan. hær. 34. Niceph. l. 4. c. 4. 8. Marcionitarum, Paulianistarum Cataphrygum, *qui in nomine Trinitatis baptizandum esse negabant uti prodit de ijs* Concil. laod. can. 8. & Nicen. can. 19. 9. Illorum *qui tempore primitivæ Ecclesiæ baptizare solebant* in nomine trium principio carentium h.e. trium patrum, vel in nomine trium filiorum, aut trium paracletorum ut constat ex Can. Apost. 49. 10. Illius Bavari presbyteri, *qui Latinæ linguæ ignarus puerum quendam* in nomine Patria Filia & Spiritua Sancta *baptizasse fertur circa annum Christi 745. Bonifacius Episcopus Moguntinus puerum rebaptizari jussit: Episcopus Salisburg. & Pontifex Laureacensis Baptismum volebant esse ratum, donec Zacharias Pont. dissidium solvens Epistola decretali, si ait ille, qui baptizarit non errorem introducens aut hæresin sed pro sola ignorantiâ Romanæ locutionis infringendo linguam hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur. Sed hæc hactenus de recitatione verborum, sequitur:*

Propos. III. Ablutio in baptismo per aquam fieri debet & est omnino necessaria ad constitutionem hujus Sacramenti: *perinde tamen est, sive immersione sive aspersione fiat, modo decenter & ordine omnia fiant: Hic enim inter δόσιν & δόσεως τρόπον, inter λῆψιν & λήψεως τρόπον est distinguendum: δόσις καὶ λῆψις est inablutione facta per aquam, & necessaria est: Non enim in nuda verborum recitatione forma Sacramenti est, ut fuse contendit* Bellarm. l. 1. de Sacr. c. 18. *etsi enim vel maxime aquam solemniter verborum facta recitatione*

ne

& consecraret Bellarm. & neminem abluerer, Baptismum non administraret; δόσεως vero & λήψεως τρόπος *in immersione vel aspersione trinâ vel unâ est, & pro ratione ordinis & decoris in Ecclesiâ indifferens est: Immersio quidem pro ratione illorum & temporum & locorum in Ecclesia primitiva usitatior fuit, ut* ex Tertull. Nazianz. Chrysost. Canone Apost. 50. *& aliis colligere est, cujus gratia etiam olim* diaconissæ mulieribus nudandis adhibitæ, quarum munus erat ministrare presbyteris, dum baptizantur fœminæ propter decorum *ut est in Constit. Apost, quod idem fere innuit* Epiphan. hæres 79. *& videtur earum Apostolus meminisse* 1. Tim. 5. 9. *Huc facit Constantini Copronymi Historia, qui infans baptismo initiatus ex ventre stercus in aquam baptismi ejecit, quod si fascijs involutus & caput tantum aspersus fuisset, fieri non potuisset. Aspersio tamen non fuit prorsus eo tempore inusitata. Quis enim facile credat Iohannem in tanta virorum mulierumq; frequentiâ omnes, quos in hominum conspectu baptisavit, exutis vestibus nudos Iordani immersisse* Matth. 3. 5. 6. &c. ? *aut Apostolos paucos uno die tria millia, si singuli mersi fuissent baptizare potuisse* Act. 2. 36? *aut carcerario illi in carcere à Paulo baptizato tantum aquæ, quantum opus erat immergendo, subito præsto fuisse?* Act. 16. 33. *aut Lydiam purpurariam, ubi baptizata est, ab Apostolis immersam* Act. 16. 15. *aut Paulo ubi ab Ananiâ est baptismo tinctus, in ea domo, in quam post auditam è cœlo vocem divertit, tam ampla subito vasa præsto fuisse, quibus immergi potuerit* Act. 9. 18. 19. c. 22. 6. *Ità & trina immersio olim frequentior fuit, de qua apud* Gratian. de Consecr. dist. 4. c. de trina. & Lombard. l. 4. dist. 4. c. 9. Canon Apost. 50. *de trina immersione ita statuit:* Si quis Episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in morte Domini, deponatur. *Quæ decisio nimis rigida & Spiritu Apostolico indigna est, nisi forte eo nomine deponendus fuerit presbyter, quod contumaciter trinam mersionem reprobaverit, & schisma fecerit in Ecclesia propter rem indifferentem: Unica item immersio aut aspersio non prorsus fuit insolita, cum enim in Hispania Ariani trina immersione ad tres trium naturarum personas signandas uterentur, una mersio fuit recepta ut est apud* Gregor. l. 1. Epist 41. In una fide hic nihil officit *ut ait ibi* Gregor. Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa &c.

SECT. III.

Sect. III.

De Autore Baptismi.

De ratione Sacramentorum est ut sint à Deo autore divinitus instituta, sunt enim Dei mysteria 1. Cor. 4. 1. *& humanis inventis Deus non colitur* Matth 15. 8. *multo vero minus efficaciter in nobis operatur: Abeant sane in Utopiam cum suis commentis Papani, quæ pro sacramentis nobis obtrudere sat agunt, etsi Deum autorem non habeant, testibus vel ipsis adversarijs: Sacramentum Confirmationis in Concilio Melitensi (particulari) institutum esse ait* Alex. Alens. p. 4. q. 9. m. 1. *à quo non procul abest* Bonavent. m. 4. d. 7. art. 1. q. 1. *Unctionis extremæ Sacramentum à Jacobo institutum esse vult* Lombard. m. 4. d. 23. Bonav. d. 23. cit. d. q. 2. a. 1. Hugo victor. l. 2. de Sacr. p. 15. c. 2. Marsil. in 4. q. 14. *Confessionem pœnitentiariam jure Ecclesiastico sancitam esse statuit* glossa pœnit. dist. 5. *& cum ea* Petrus *quidam* Oxoniensis *in Academia Salmantina Theologiæ professor, qui tamen jussu Sixti IV. Pontificis opinionem retractare coactus est; Et vero Bellarm ipse, ut suis Sacramentis vel commentis potius mature prospiceret, satis esse contendit ad Sacramentum,* si constet Deum de illo mandatum dedisse licet in sacris literis non habeatur ita expresse l. 1. de Sacr. c. 14. *verum, etsi per accidens sit ad rationem Mandati scriptum vel non scriptum esse,* scriptis tamen ijs omnibus quæ Apostoli prædicabant populis ut ijs necessaria vel utilia, *ut ait* Bell. l. 4. de v. d. c. 11. *de ratione Mandati talis ut ad nos pervenit, est scriptum esse: de quo alibi. Videndum ergo de Institutione & autoritate Baptismi, quæ nisi divina sit & in Scripturis expressa, Sacramentum esse non poterit: De tribus potissimum quæri potest: I. An sit à Deo autore II. An sit à Christo, & quidem secundum utramq; naturam, & III. Quando sit institutus. De singulis breviter.*

Propositio. I. Baptismus est à Deo autore, *qui illum ut Sacramentum ad salutem necessarium omnibus instituit: Idq; asseritur 1. Quia Iohannes mandato Dei baptizavit, dicitur enim missus à Deo ad baptizandum in aqua* Joh. 1. 33. *Adde* Luc. 3. 2. Matth. 21. 25. Marc. 11. 29. Luc. 20. 4. 2. *Apostoli eorumq; in officio successores, Dei mandato baptizant, ut constat* ex Matth. 28. 19. Mar. 16. 15. *ubi mandatum universale est, quia ad omnes gentes usq; ad consummationem seculi sese extendit,*

ter, quæ uti docenda sunt ita pariter baptizandæ, mandatum vero de Baptismo aquæ est, quia βαπτίζειν hoc loco usurpatum, est proprie aquæ tingere, præsertim ubi absolute ponitur, nec Apostoli aliter quam de Baptismo aquæ intellexerunt, qui Baptismum aquæ fideliter juxta Christi præscriptum administrarunt. 3. Baptismus est ad salutem necessarius, ergo omnibus severissime injunctus, ut, sine quo nemo potest ingredi in regnum cælorum Joh. 3. 5. Ubi per Aquam non intelligo aquam Spiritualem sive Sp. S. gratiam, cum Calvino Cingl. Piscat. Vorstio Bulling. Tossano, Martyre, Chassanione, Chamiero, Catech. Racov. Socino, Moscorovio, cujus etiam opinionis Chemnitium insimulare ausus est mendaciter Valentia d. 4. q. 3. p. 4. nec ablutionem à peccatorum sordibus sive pœnitentiam cum Socino, nec Christum verbum Dei vivum cum Suencfeldio, sed Aquam proprie dictam, ut litera sonat, à quâ, nisi textus evidentia, aut circumstantiâ aut analogiâ fidei, aut locorum collatione aliter nos docuerit adversarius, discedere nobis piaculum esto. 4. Baptismus est consilium Dei Luc. 7. 30. hoc est præceptum decretum propositum Dei, res magni momenti, quam certo Consilio & q. præviâ facta deliberatione Deus ad salutem ordinavit. Est ergo à Deo autore: 5. Baptismus est medium remissionis peccatorum gratiæ & salutis, ut infra prolixius videbitur, est, ergo à Deo Autore: Quia Media salutis ordinare non est nisi illius, cujus est salutem conferre, nempe solius Dei. 6. Baptismus est gratiæ Dei sigillum, sicut & Circumcisio Rom. 4. 11. & ἐπερώτημα bonæ conscientiæ 1. Pet. 3. 21. & testimonium gratiæ 1. Joh. 5. 6. Promissiones vero divinas sigillis munire, & divinæ voluntatis testimonium mentibus nostris indere eaq; de gratiæ Dei certas facere non est, nisi illius, cujus est & bona cælestia promittere, & in mentes impetrium obtinere, nempe solius Dei.

προβλημα 1. Audaculus est Ostorod. qui Instit. c. 30. ait demonstrari non posse, quod Johannes Baptista divino Mandato instructus baptizarit.

προβλημα 2. Impia dogmata sunt 1. Lucæ illius Sternbergeri qui Baptismum Satanæ institutionem (si venia verbo) esse impurissimo ore contendit, eosq; omnes qui Baptismo uterentur ad orcum damnavit, quod non Baptismus sed circumcisio sit instituta. 2. Judæorum & Suencfeldianorum, qui, quod horresco referens, balneum Suillum & caninum

scele-

sceleratissimè nominarunt. 3. Albigensium, & Ascroditorum *quos* Archonticos Epiphan. Ascroditos & Ascrodupitas Theodoret. *appellat, qui* Petro *quodam Anachoreta Syro autore Baptismum execrati sunt:* 4. Manichæorum & Seleucianorum *qui Baptismum suscq; decq; habuerunt, ut est apud* August. hæres. 46. & 59. *item* 5. Photinianorum, *qui furiosè contendunt Baptismū non esse à Christo mandatū, esse vero ab Apostolis citra Christi mandatum liberè assumtum, ut ceremoniam temporariam, nec omnes eo ritu initiatos esse, sed illos solum qui ab Ethnicismo & Iudaismo conversi ante in Christum non crediderint, Nec tamen quicquam prohibere, quo minus ritus ille hodieq; in usu esse possit, etsi à Christo præceptus non sit.* Cui errori Episcopius *quoq; Armiuij discipulus astipulatur:*

προσμ. 3. Baptismi virtus & administratio à Dei institutione in solidum dependet: *Proinde eo modo uti Deus instituit, & eum in finem administrari debet, nec privato ausu in essentialibus Baptismi quicquam mutari.*

Propos. II. Baptismus est à Christo secundum utramq; naturam institutus: *In dispensatione enim & institutione hujus Sacramenti Christus θεάνθρωπος præsens est, quia opera Mediatoris, quæ non acquisitionem solum sed & applicationem gratiæ, quæ per verbum & Sacramenta fieri debet, comprehendunt, secundum utramq; naturam exequitur.*

προσμ. 1. Bellarm. l. 1. de Sacr. c. 23. frustra Christo ut homini affingit mediam quandam potestatem excellentiæ derivatam à divinitate, quæ sit veluti media inter divinam & humanam, *per quam concurrat ad Sacramentorum Institutionem: Quam sententiam hausit è lacunis Scholasticorum: verum scriptura non mediam quandam sed vere divinam δύναμιν καὶ ἐξουσίαν Christo tribuit secundum humanam naturam, de quo alibi.*

προσμ. 2. Qui Calvinum sequuntur, eos oportet Christum quâ hominem á Sacramentorum institutione sequestrare: *Iuxta proprias enim hypotheses Christus ut homo non habet communicatam sibi virtutem verè divinam: Non ergo potest instituere Sacramentum Baptismi, quod divinæ virtutis est: Item: Caro Christi, non est, uti volunt, vivifica, ratione applicationis meritorum & efficaciæ: Nil ergo ad institutionem Sacramentorum confert, quæ ad applicationem faciunt tanquam organa.*

Propos. III. Baptismꝰ eo primũ tẽpore est institutus, quo factum est verbum Domini ad Johannem. Luc. 3. 2. Joh. *1. 33. quod incidit in annum imperij Cæsaris Tiberij 15. qui Augusto anno Christi 15. successit, & sic anno Christi 29. aut circa initium 30. (alij volunt 31.) officium baptizandi inchoavit: Eo enim tempore primum cessare cæpit Judaismus & incepit Christianismus, cessavit vetus & incepit N. Testamentum, sive ut S. S. loquitur, appropinquavit regnum cœlorum* Matth. 3. 2. *& initium factum est Evangelij sive publici præconij de Meßia exhibito* Mar. 1. 1. *& desiére lex & Prophetæ* Matth. 11. 12. *Johannes enim fuit, ut* Macar. *ait* omnium Prophetarum complementum, *& ut* Tertull. limes in quo cessavit Judaismus & cæpit Christianismus. *Post resurrectionem vero cum Mandato, omnes gentes baptizandi: demum solemniter promulgatus est* Matth. 28. 19. Mar. 16. 15. *ex quo tempore, post honorificam Synagogæ Iudaicæ sepulturam ad Baptismum omnes tenebantur. Fieri enim potest ut lex ab eo tempore, quo instituta est habeat vim obligativam & obliget in actu primo, ut loquuntur, illud enim est velut quoddam proprium legis, actu tamen secundo pro eo tempore & puncto nondum obliget, sed pro tempore aliquanto post secuturo, quod legislator determinaverit, cujus est ut alias conditiones legis, ita & tempus determinare, à quo velit legem esse actu ut sic loquar, obligativam. Potuit itaq; Baptismus ante institui, quam inciperet actu sub necessitate medij obligare, quod demum ab eo tempore factum ubi veteris Testamenti constitutiones obligare desiére, & Synagoga Iudæorum cum honore sepulta est, quod* Capreol. 4. Sent. Dist. 3. q. 3. a. 3. Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 5. *à die Pentecostes,* Sotus vero de just. & Jure q. 5. a. 4. *à resurrectione Christi,* Valentia tim. 2. d. 7. q. 8. p. 1. *à morte Domini incepisse ajunt.*

Scholium. Scholastici errant, *quorum 1. Alij ut* Alensis, Thomas, Lombard. *Baptismum Christi institutum esse asserunt, cum Christus à Johanne in Jordane est Baptizatus, quorum opinionem fovet* Bellarm. l. de Bapt. c. 5. *2. Alij inter quos* Richard. *prius facto in Baptismo quem suscepit, post verbo instituisse ajunt, cum discipulos binos & binos emisit ad baptizandum. 3. Alij inter quos etiam* Sotus & Valentia *incertum esse putant, quo tempore sit institutus ante passionem, eoq; nomine castigant eos, qui asserunt illud sine dubitatione esse tenendum (quamvis probabilissimum esse non negent) quod institutus sit, cum Christus à*

Iohanne-

Johanne baptizatus est. Hæc vero omnia ex falsa hypothesi profluxere, quâ statuêre Johannis Baptismum non esse eundem specie cum Baptismo Christi, de qua dicetur sect. sequenti.

SECT. IV.

DE MINISTRO sive DISPENSATORE Baptismi.

Hic plurima quæri & disputari solent: I. An minister Ecclesiæ sit dispensator hujus Sacramenti, II. An solum & semper, ita ut in casu necessitatis laicus dispensare non possit. III. An vocatio ministri legitima: IV. An fides vera, V. An vita Sancta & sincera, VI. An Intentio faciendi quod facit Ecclesia, ad integritatem hujus Sacramenti sit necessaria VII. An Baptismus quem Johannes dispensavit, sit idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi & Apostolorum; IIX. An Christus suis manibus baptizarit. De singulis agam per certas propos.

Propos. I. Minister Ecclesiæ ordinariè est dispensator Baptismi: *Quia 1. Hic accepit uti prædicandi ita & baptizandi mandatum* Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. & (2.) *est dispensator mysteriorum Dei* 1. Cor. 4. 1. *ad quæ etiam spectant Sacramenta, & 3. est oeconomus Dei* Tit. 1. 7. *qui domui Dei bene præesse debet, & bona ejusdem legitime distribuere, & 4. operam suam accommodat Deo* 1. Cor. 3. 9. 2. Cor. 6. 1. *Quo facit 5. praxis Iohannis, qui καὶ ἐξοχὴν dicetur βαπτιστὴς* Matth. 3. 1. c. 11. 12. *quia primus in N. T. hoc Sacramentum administravit* Matth. 3. 6. Mar. 1. 4. Luc. 3. 12. Joh. 1. 28. c. 3. 22. *Apostolorum* Joh. 4. 2. Act. 2. 41. *Pauli* Act. 16. 15. 33. 1. Cor. 1. 14. 16. *Philippi* Act. 8. 38. *Ananiæ* Act. 9. 19. c. 22. 16.

προσισμ. 1. Errant qui hunc ordinem turbant & sine discrimine cuivis baptisandi potestatem faciunt *ut sunt* 1. Pepuziani Cataphryges, Collyridiani *qui tantum dabant mulieribus principatū ut Sacerdotio quoq; honorarent, apud* Augustin. de hær. c. 27. & Epiphan. hær. 19. & 97. *& ut viri diaconos, ita mulieres diaconissas ordinarent*: 2. Quintiliani *qui in gratiam Evæ Episcopas & Diaconissas ordinabant, apud* Epiphan. hær. 49. 3. *Bonifacius Germaniæ Apostolus & præsul Moguntinus qui ad annum Christi 720. mulieribus Monialibus sa-*

ætatem permisit publice docendi & conciones habendi, sicut Theclam ad stationem Mosam Kitzingi, & Liebam in Bischofsheim concionatæ esse auctores est Hedion. l. 6. c. 21. *Abbatissæ quoq; manus imponere, sacerdotes ordinare & velare virgines consuevere apud* Hospin. de Monach. c. 28. *sic & tempore* Basilij *mulieribus concessum erat publicè docere, baptizare, cœnam administrare, quas ideo vocat sacerdotes &c. 4.* Marcion *qui extera casum necessitatis in publicis cœtibus mulieres baptisare posse contendebat, quem etiam hodie magno numero sequuntur* Anabaptistæ, Socinian, Arminiani, *qui Sacramenta à quovis homine Christiano rite administrari posse autumant, etsi præco non sit, Ita* Socin. Theoph. Nicolad Ostorod. Episcop. *in quorum societatem sine causæ quoq;* B. Lutherum *rapere voluit* Bellarm. l. 1. de Sacr. c. 24. 25. l. 4. de Euchar. c. 16 *quasi statuerit quemvis hominem Christianum habere potestatem administrandi Sacramenta* l. de capt. Babylon. *Ubi tamen* Luth. *de generali solum aptitudine ad dispensandum sacramenta loquitur, quam omnes fideles habent, ut non sit opus ordinis illo sacramento peculiarem characterem animæ impressum fingere, quo habilis fiat minister ad conficiendum sacramentum: Nec tamen omnes illo jure aut aptitudine ad ministerium uti posse censet, nisi consensu communitatis aut vocatione majoris uti addit* B. Luther. *Advertere potius debuisset Bellarm. quod* tom. 6. Jen. Germ. *ad quæstionem* An Paterfamilias ijs in locis ubi Cœna juxta Christi institutionem non dispensatur, sibi & suis privatim eam dispensare possit, *negative responderit, eo quod patersam. vocatione & mandato id faciendi destituitur. Baptismi vero administrationem in casu demum absolutæ necessitatis Laico concesserit, ita tamen, ut sine mora ad baptisandum ministro Ecclesiæ deferatur, ubi vel non constiterit, quid præterrore & subita consternatione fecerint in illo extremæ necessitatis casu mulieres, vel* ut tom. 8. Jen. habetur, *mater tempore partus ita præoccupata sit, ut neminem prorsus accersere possit, sed ipsa sola sit & infans morti proximus à matre baptizatus sit, Ibi si superstes manserit, vult à matre nemini quid fecerit indicari & infantem tanquam non baptizatum in cœtum Ecclesiæ deferri & baptizari quia in adultiore ætate testibus opus habeat, contra ignita Diaboli spicula quod baptizatus sit, Vide* Cas. Consc. Balduin L. 2. c. 11. cas. 7. pag. 412.

Thesis 2. Athanasij Baptismus quem adhuc puer ludendo admini-

administravit non fuit legitimus: *de quo apud* Sozom. l. 2. c. 26. Ruffin. l. 1. c. 14. Niceph. l. 8. c. 40. *Pro legitimo illum habent* Bellarm. Becan. Valentia *& reliqui Iesuitæ, Nam quæ ratio est* Costeri Jesuitæ, sicut *inquit*, pueri quidam nostra memoria lusu imitati laniones dum porcos mactant, alij alios revera jugularunt & occiderunt, ita qui lusu baptizarunt revera baptizarunt. *Risum teneatis amici! Quid si lusu infans gesticulantem aut consecrantem sacrificulum imitetur, & ita lusu missificet, vere tamen missificaret Costerus? aut qui lusu administrantem in Cœna imitetur, alijsq; distribuat, vere tamen distribueret? Non jocularis, ludicra, ridicula, sed sancta Baptismi dispensatio, neq; quivis sive discrimine, sed Ecclesiæ ministris ordinarie est commissa, qualu-tum nondum erat puer Athanasius.* Sozomenus *quidem asserit, Alexandrum Alexandriæ Episcopum Baptismum illum velpotius lusum pro rato Baptismo habuisse, sed liceat mihi, quod sæpius ingeminat* Baron. *hic diffidere Sozomeno hæretico Novatiano. Sit tamen ut sit, ad rem nihil facit.*

ϖοεσ. 3. Pontificij sine causa comminiscuntur discrimen inter ministros ex officio quales sunt Episcopi, Sacerdotes, & presbyteri, ita tamen ut his & istis conveniat officium cum subordinatione & dependentia ab Episcopis, & inter ministros ex commissione, quales sunt Diaconi, ad quos non nisi extraordinarie & in absentia sacerdotum, aut eorum jussu munus baptisandi pertinere volunt, *vide* Gregor. de Valent. tom. 4. p. 790. Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 7 *Quid Vero hoc est, nisi nodum in scirpo quærere? Omnibus Ecclesiæ ministris qualescunq; sint ex vi (non concessionis aut delegationis Episcopalis sed) vocationis & ordinationis divinæ jus est ut docendi, ita & baptisandi: Neq; est juris divini discrimen illud, quod inter Episcopos, Presbyteros & Diaconos constituunt Papicolæ.*

ϖοεσ. 4. Non nudum externum elementum sed integrum Sacramentum dispensatur per Ecclesiæ ministrum: *Error proinde est* Piscat. Zepperi, *& aliorum qui symbola solum externa per ministrum res vero signatas per Spiritum S. immediate conferri contendunt, quibus tamen è gregalibus contrait* Bucanus, *& rectè; Quia ministrorum est baptizare* Matth. 28. 19. *h. e. lavacro regenerationis* Tit. 3. 5. *à peccatis abluere & regenerare, quod alibi etiam ministris tribuitur* 1. Cor. 4. 15. *sicut & peccata remittere* Joh. 20. 22. *Ideo enim sunt dispensa-*

οἰκονόμους μυστηρίων Dei 1. Cor. 4. 1. *Externa vero elementa non sunt Dei mysteria: Sunt ministri per quos credimus* 1. Cor. 3. 5. *Sunt Dei* συνεργοὶ 1. Cor. 3. 9. καὶ συνεργοῦντες 2. Cor. 6. 1. *à quibus accipimus Dei verbum* 1. Thess. 2. 13. *& qui nos salvare possunt* 1. Tim. 4. 16. *Deus quidem dispensat Sacramentum, dispensat autem & minister, ille principaliter, hic instrumentaliter, ille ut autor, hic ut minister, &c.*

Propos. II. Laicus sivè vir sit, sive fœmina, in casu extremæ necessitatis extraordinarie potest esse dispensator Baptismi: *Casum necessitatis appello, cum Baptismus à constituto Ecclesiæ ministro haberi non potest, quod fit vel cum infans est in agone, ita ut, nisi ab alio quam legitimo Ecclesiæ ministro baptisetur, absq; Baptismo moriendum sit, vel cum parentes ministrum sive orthodoxum sive hæreticum omnino habere non possunt, uti in Papatu fieri solet, ubi infantes baptisare recusant Iesuitæ, donec ad Ecclesiam illam publicè sese conferant parentes: In illo necessitatis casu ubi nec orthodoxus minister haberi, nec supplicationibus ad Magistratum mitigari rigor iste poterit, parentes ipsi privatim infantes suos baptizare possunt, ut est apud* Balduin. Cas. Consc. l. 2. c. 11. c. 6. *In summo enim illo necessitatis casu cessat ordo, qui non dominatur sed inservit Sacramentis, Sacramenta namq; non sunt propter ordinem, sed ordo est propter Sacramenta: Et si Deus ratam habuit circumcisionem à fœminis* Ex. 4. 25. 26. 1. Mac. 1. 63. 2. Mac. 6. 10. *in necessitatis casu (ubi virorum ad quos pertinebat circumcisio, copia haberi non potuit,) profectam, quanto magis Baptismum ratum habebit Deus à laicis in N. T. dispensatum: Quia ubi eadem est ratio idem jus oportet esse: Et quod valet in re pari etiam valet in compari.*

παρεπιγρ. Errant proinde ij qui Laicorum Baptismum intempestivè nimis prosequuntur: Calvinus *putidam ministerij profanationem*, Beza *fabulam*, Bucanus *à Marcione hæretico introductum* Zepper. *vitiosum & illegitimum*, Chamier. *temerariam ludificationem nullo modo in Ecclesia toleraudam appellitant, imò vero* Beza *stomachabundus, sese malle ab ipsomet diabolo in ministerij Cathedra sedente baptizatum esse scribit, quam à privato Christiano, qui non sit in ordinario ministerio verbi: A quibus tamen abeunt* Petrus Martyr, & Isaacus Casaubonus, *& abire jubent hypotheses propriæ, quas fovent* Bucanus *& alij ejus asseclæ.*

Propos.

Propos. III. Legitima vocatio non est ad integritatem Sacramenti tam absolute necessaria, ut sine ea non sit legitimum Sacramentum: *Quis enim de illius legitima vocatione qui tibi Baptismum contulit, te certum & indubitatum faciet? Tu vero, ubi id non constiterit, de veritate & integritate Baptismi dubitabis? Nec est, qui ausit asserere, legitimam ex omni parte illorum vocationem fuisse, qui per vim & fraudem in Mosis Cathedram tanquam fures & latronès* Joh. 10. 8. *irrepsere, & tamen ministerium eorum, quod effectum attinet, ita non improbavit Salvator, ut etiam eò auditores remiserit* Matth. 23. 3. *Neq; Pontificiorum Baptismus hactenus à quoquam fuit habitus pro irrito*, potius ratus haberi debet *quæ* Bucan, *verba sunt*, Pontificiorum Baptismus, qui errore communi vel longa tolerantia seu per vim pastorum sedem occupant, & publicum ministerium tenent, etsi pro legitimè vocatis habendi non sunt.

προέκτασις. Frustra ergo solliciti sunt Calvinus, Beza, & alij qui Vocationem legitimam necessario requiri statuunt ad Baptismum legitimum: *vocationem quidem si fieri possit legitimam requirimus, Baptismum tamen ejus, qui per omnia legitimè vocatus non est, modo secundum institutionis verba administretur, irritum atq; inanem habere non possumus. Distincta enim sunt officium, officij fructus, & modus ad officium perveniendi, quorum unum ab altero non ita dependet necessario, ut irrito uno, irritum habeatur & alterum.*

Propos. IV. Doctrina ministri pura non est absolute necessaria ad integritatem Sacramenti, ita ut Sacramentum Baptismi conferre non possit nisi qui omnibus modis est in fide purus: *Hæretici quidem illi, qui publicè & nomine Ecclesiæ quorum sunt ministri Baptismi substantiam impugnant, & aquæ loco v. g. alium liquorem sufficiunt, aut Trinitatis mysterium negant, verum baptismum conferre non possunt: Unde rebaptisandi, qui ab ijs baptisati, vel potius conspurcati sunt, quia pars aliqua substantialis tollitur, Baptismus convellitur & à Christi institutione receditur: Quo nomine de* Paulianistis, Cataphrygibus, Samosatenis *vetus Ecclesia statuit, ut rebaptizarentur: Illi vero qui vel veræ & puræ Ecclesiæ ministri sunt licet occulte hæresin foveant, quæ Baptismi substantiam impugnet, vel etsi non sint veræ Ecclesiæ ministri, sed hæreticæ, substantiam tamen integram relinquant, vel sint ejus Ecclesiæ ministri, quæ substantiam Baptismi non convellit, licet ministri forte oc-*

culte eam hæresin foveant verum Baptismum conferre censendi sunt. Quia ubi adest una cum aqua nomen Triintatis ejusq; invocatio nomine Ecclesiæ facta, ibi Baptismus est legitimus: In hoc casu ubi substantia Baptismi integra servatur illud esse potest: Nec vero scribæ & Pharisæi erant à gravissimis erroribus immunes, & tamen nusquam legitur circumcisionem ab ijs administratam illegitimam à Christo habitam fuisse, quia potius quatenus Sacramenta juxta Mosis præscriptum dispensabant ministerio eorum utendum erat, Matth. 23. 2. 3.

πορισμ. Errant, qui à vera fide æstimant integritatem Sacramentorum *quorum primus fuit* Agrippinus Africæ Episcopus, *qui sacramenta ab hæreticis administrata quia verâ fide carerent, statuit esse nulla: Post eum idem asseruit* Cyprian. Carthaginensis Paræciæ Pastor, *ut* apud Euseb. *appellatur* l. 7. c. 2. *cui eam ob causam* Stephanus *Episcopus Romanus indignatus est. Cum Cypriano fecere* Patres Concilij Carthaginensis, *quem errorem secuti post schisma fecere* Donatistæ, *qui, quod alij absq; contentione & pertinacia defendebant, pacem nihilo secius cum aliter sententibus colentes, neminiq; eo nomine succensentes, summa post contentione & pertinacia tuerâ voluerunt. Cum quibus* hodieq; *faciunt illi* Jesuitæ, *qui alicubi à nostris (quos pro Hæreticis habent) baptisatos rebaptisare solent*, Mylio *teste*, Amandus *item* Polanus, *è cujus hypothesibus consequens erit, nec Calvinum nec Bezam baptizatos esse.*

Propos. V. Baptismus in summo necessitatis casu ubi copia sanioris ministerij haberi non potest, ab hæretico qui substantiam Baptismi servat integram, peti potest: *Ubi præsto est purum verbi ministerium ab hæretico peti nec potest nec debet, Conf.* Joh. 10. v. 5. 1. Cor 10. 18. 2. Cor. 6. 14. 15. Tit 3. 10. 2. Joh. v. 10. *Ubi vero copia illius haberi omnino non potest, per Magistratus tyrannidem aut alium casum, præmissâ protestatione & veritatis confessione ab hæreticis peti potest, quod* Dn. D. Hunnius *p. m. Frideslarienſibus in Hassia à Moguntino propter religionem pressis aliquando respondit: Hæresis enim ministri nil derogat integritati Sacramenti: Pharisæi etsi corruptissimum haberent ministerium, obtulere tamen ijs pii parentes infantes circumcidendos, quod meliores habere non possent, quin & Christum quin & Apostolos à Pharisæis circumcisos fuisse credibile est, ut ait* Balduin. cit. l. p. 410. *Ecclesia quidem ipsa, uti est falsa & hæretica semper est fugienda,*

Bonum

Bonum tamen illius Ecclesiæ, quod non est hæreticum sed divinum, quid mi usurpare liceret?

προβλημα. Errant qui statuunt cum Bucano & Polano, in extremo necessitatis casu à sacrificulo baptismum peti nullo modo posse: *quos ante refutarunt* Melanchton, Bucerus, Calvinus *&c: Viderint vero qui dextram fraternitatis hodie nobis porrigunt, quomodo* Martyrem *(sibi tamen contradicentem) habeant propitium, qui acerbissimè negat à Lutheranis Baptismum in extremo necessitatis casu petendum.*

Propos. VI. Pietas Ministri non est ad integritatem Baptismi absolute necessaria: *Nam 1. agit instrumentaliter, alienum distribuens thesaurum,* 1. Cor. 4. 1. c. 3. §. *Quid ergo inde decedit Sacramento? quid si famulus jussu Domini eleemosynam erogaret ei quem odio prosequitur, inde eleemosynæ aliquid decederet? Aut si aqua per canalem lapideum ad irrigandas areolas trãsiret, ideo minus irrigaret, quia non transiret per argenteum? aut si sordidis manibus semen faciat agricola, modo bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor solis, pluvia de cælo, cumprimis vero Dei benedictio, inde messis erit infrugifera? Imo vero 2. Baptismus hac ratione esset* improbus, *quia hominis improbitas Dei Sacramentum evacuaret,* iniquus, *quia alterius causa infans pœnas lueret,* Neq; *enim* justum est, *ait* Chrysost. propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi: Incertus *quia de alterius qualitatibus nemini baptizatorum certo constat:*

προβλ. Donatistæ sive veteres sive recentiores perperam somniant non esse efficax ministerium nisi minister exterius saltem probus videatur, *negant, proinde, Sacramentum valide dispensari à manifestis peccatoribus:* Pauperes *item* de Lugduno & Hussitæ *item* Wiclephistæ *ejusdem insimulantur, quod ulterius existimarint sacramentum non posse administrari ab improbo etiam occulto apud* Valent. d. 3. c. 1. q. 1. p. 3. *In confessione autem, quam Francisco Galliarum Regi exhibuerunt, & in ijs, quæ de VValdensibus ex Rainerio antiquo scriptore Flacius narrat, nihil tale reperitur: Thuanus item ex Cardinali Sadoleto testis est, reliqua quæ VValdensibus affinguntur per invidiam illis affingi.* Sit ut sit, Per ministros dispares Dei munq æquale est, *ut ait Augustin. quia non illorum sed ejus est:* διὰ πάντων αὐτὸς ἐνεργεῖ εἰ καὶ φαυλοί εἰσιν ἀνάξιοι διὰ τὸ σωθῆναι τὸν λαὸν.

προσιτω. 2. Minister Ebrius si in substantialib9 Baptismi nihil mutaverit, verum Baptismum contulisse censendus est: *sin vero ipse quid dixerit ebrius, nesciat, nec verba institutionis legitime pronunciet, ut astantes percipere non potuerint, infans pro non baptizato habetur* ut est apud Balduin. l. 4. c. 8. cas. 1.

Propos. VII. Intentio interior in Ministro, faciendi quod facit Ecclesia, non est necessaria ad integritatem Baptismi: *Hujus propositionis veritatem ut intelligas, adverte:* Intentionem esse vel Dei instituentis, *qui intendit non solum ut ajunt, materialiter, sed & formaliter, virtualiter, actualiter, finaliter, instituere Sacramentum*, vel ministri dispensantis, *eamq;* vel interiorem *& mentalem, ubi animo intendit, dispensare Sacramentum*, vel exteriorem, *ubi per verba & facta consentanea intentioni administrandi sacramentum exprimit & testatur sese intendere administrationem Baptismi institutioni Christi conformem*, sive ut Catharinus unus è patribus Tridentinis distinguit, *intentionem vel faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia, vel faciendi actum externum non simpliciter sed ut sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit & celebrat: Primam Dei instituentis & illam exteriorem ministri dispensantis usq; adeo dicimus esse necessariam ut sine ea non posit esse Sacramentum: Illam vero ministri interiorem modò adsit actus exterior legitimus, non putamus adeo esse necessariam, ut nil licet desit reliquorum, desit tamen sola illa. Intentio interior ministri, sacramentum esse non posit:* Deinde: *Distinguendum quoq; inter ea quæ necessaria sunt in administratione Baptismi ad personam Ministri &, ea quæ sunt necessaria ad integritatem Sacramenti: Intentio quidem attenta & devota de jure est necessaria ad personam ministri, ut is animo præsente & pio administret, sed si vel maxime ex negligentia aut malitia non sit intentus, nil tamen quicquam ideo decedit integritati Sacramenti: Argumentor 1. Ex hypothesi: Baptismus confert gratiam non ex opere operantis sed opere operato: E. Intentio ministri Interior non est necessaria ad integritatem Baptismi: Antecedens Pontificiorum est: Consequentia nostra & patet: Quia opus operatum excludit ab efficientia gratiæ sacramentalis omne bonum motũ internum agentis vel suscipientis: quem contra includit & requirit opus operantis: Illa enim conferre dicuntur gratiam ex opere operato, quæ conferunt ut* Bellarm. *exponit* ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo institutæ, non

ex me-

ex merito agentis vel suscipientis *sive ut* Albert. ex perfectione externi operis sine motu interno, *sive ut* Hofmeisterus *ex* veritate verborum Christi, ejus nunquam violanda ordinatione, & promissione infallibili: *sive ut* Valentia *non* ex ullo opere, vel bono motu hominis operantis dum vel administrat vel suscipit Sacramentum, sed ipso Sacramenti opere operato, id est exercito (usurpant enim vocem illam passive,) ex institutione divina: *At si intentio ministri esset necessaria ad Sacramentum, illa aliquid vel conferret, vel auferret sacramento, & sic non tam ex vi actionis sacramentalis aut perfectione operis externi sine motu interno aut veritate verborum Christi &c. quam ex intentione ministri effectum sortiretur & gratiam conferret: In opere vero operantis, ut* Fabricius *definit*, non tam habetur ratio institutionis Christi, virtutisq; divinæ, quæ occulta ratione circa Sacramenta operatur, quam qualitatum Ministri exterius suam operam accommodantis. *Quod ergo non justificat ex opere operantis in eo, qualitates Ministri, quas inter Intentio est, non attenduntur: II. Baptismus valorem & efficaciam habet non à bonitate Ministri sed ab institutione Christi: E. nec ab Intentione Ministri: Antecedens* Johannes de Rada Arragonius *ita confirmat*, quia sic congruum fuit Baptismum institui, rationabile enim erat, Deum assistere suo signo practico, ad causandum signatum ex determinatione voluntatis suæ præcedentem omnino ministri cognitionem, ut sicut illa determinatio sua, qua tribuit signo efficaciam, est ab ipso immediate omnino & primo, ita assistentia consequens illam determinationem ad causandum est ab ipso immediatè nulla attenta conditione ministri quoad bonitatem vel malitiam: *Hæc Rada, unde patet consequentia, quia Deus ante omnem ministri cognitionem dat efficaciam Sacramento immediate & primò, & est illa efficacia à Deo immediate & primo, nulla attenta conditione ministri quoad bonitatem: non ergo est necessaria intentio, quia in Paribus idem judicium. Vel (quæ verba sunt Radæ)* si Sacramenta suam efficaciam habent à Deo tanquam à causa efficiente & à passione Christi tanquam causa meritoria, & non à ministro aut ab alio, ergo quacunq; iniquitate (*ego dicam intentione*) minister sit infectus Sacramenta habebunt suam efficaciam. *III. Verbum prædicatum non pendet ab Intentione Ministri* Phil. 1. 17 18. *quare ergo Sa-*

cramentum? Cum verbum prædicatum non minus sit practicum, sive ut Paulus ait, potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1. 16. *quam Sacramentale, quare ergo utriusq; non sit eadem ratio? IV. Baptismus si penderet ab Intentione Ministri, esset incertus, esset incerta Dei gratia, incerta salus & beatitudo: quia si* Baptismus, *sunt verba* Radæ, non posset conferri nisi à bono (*addam ego ab intendente*) non esset in magnum viatoris remedium, sed quasi communiter in detrimentum, cum enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria multo minus nec de bonitate (*& intentione*) alterius, Ergo si ex bonitate (*intentione*) ministri dependeat Baptismus, nunquam posset aliquis esse certus imo semper dubius de suo Baptismo, quod est maximum inconveniens: *Sacramenta enim sunt σφραγίδες* Rom. 4. 11. *quæ certam nobis faciunt remissionem peccatorum & promissionem gratiæ: Omnis vero etiam moralis sive humana (quam tamen* Bellarm. *requirit) certitudo tollitur, & nemini Pontificiorum constat certo, an Christianus sit, si ab Intentione ministri efficacia Baptismi dependet. V. Baptismus esset Injustus & iniquus, quia* videtur omnino injustum, alterum pro iniquitate alterius puniri, quando alter ille nullo modo communicat iniquitati alterius, ita ut possit sibi imputari, ergo si malitiâ (intentione) ministri ab ejus (gratiæ divinæ in Baptismo) executione impediretur, propter culpam alienam nullo modo sibi imputandam puniretur, *ait iterum* Rada. *Nam propter alienam injustitiam quatenus aliena est non punit justitia divina, quamvis propter alienam justitiam nos bene salvet divina gratia, quod tamen si salus quoq; ipsa esset à justicia divina, fieri neutiquam posset. VI. Baptismus esset non divinus & prorsus nullus, quia hominum malitia Dei fidem evacuaret, & ab homine dependeret, qui tamen à solius Dei voluntate & ordinatione dependet: Potius* Quemadmodum famulus, qui sæpe non habet unum obulum, defert tamen multos aureos à Domino suo ad alium aliquem, *quod simile est* Bellarm. l. 1. de Sacr. c. 26. *licet non habeat intentionem dandi sed potius ex odio subtrahendi Ita quoq; minister etsi vel centies non haberet intentionem interiorem baptisandi, ideo tamen Sacramento nil quicquam detraheret.* Si Evangelicis verbis *ait* Auguſt. in nomine patris & filij & Sp. Sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub ejusdem verbis aliud

opinan-

opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.

πρόσωπα. Errant Papicolæ, qui Intentionem Ministri internam dicunt esse necessariam ad perfectionem Sacramenti: *Primum à Scholasticis hæc controversia moveri cepit post* Lombardi *tempora: Hic enim cum moveretur quæstio de joculari Baptismo, primum cæpit asserere intentionem celebrandi Baptismum esse servandam, hoc est, ut ex* Lombardo *satis colligitur, intentionem actus exteriorem, sive institutionem Christi esse servandam ut sit verum Sacramentum: Quæ opinio* ad Innocentij *usq; tempora obtinuit, qui* C. si Quis extr. de Bapt. asserit non esse necesse ut minister sciat quid sit Baptismus, aut credat ipsum esse salutarem, aut intendat in mente facere quod facit Ecclesia &c. Thomas *item* p. 3. q. 64. a. 8. ad 2. Ministri Sacramenti, *ait agunt in persona Ecclesiæ, cujus sunt ministrij: in verbis autem, quæ proferuntur, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti nisi contrarium exterius exprimatur. Thomas ergo nondum requirit interiorem ministri Intentionem ad integritatem Sacramenti, sed sufficere putat observationem institutionis & expressionem verborum in qua continetur Intentio Ecclesiæ:* Biel. *vero ulterius progressus disputat ad veritatem Baptismi requiri intentionem actus & finis intendendi quod intendit Ecclesia. Orta debinc sunt dimicationes istæ, Cadmæorum fratrum, An Intentio actus solum an vero & intentio finis, an materialis, an formalis, an virtualis, an habitualis, an actualis, an quodammodo formalis, an implicita, an explicita, requiratur, Hic, ubi pedem fisterent Sophistæ, aut quid tandem dicerent non invenere: Tandem laudantibus his, culpantibus illis, scissum est studia in contraria vulgus: Concilibabulum Tridentinum, ut litem dirimeret, Metium Suffetium imitari, & quod de illo dicit Valerius, animum inter Fidenatem Romanamq; rem ancipitem gerere, & intentionem requirere satis esse duxit, faciendi in baptismo quod facit Ecclesia! verum oportuit nimium aut temulentos aut somnolentos fuisse paterculos illos, qui intentionem dicunt requiri in ministro, non tamen de quo quæsitum erat, requiri ad perfectionem Sacramenti: Et vitam probam, conscientiam sanam, habitum sacerdotis quis illorum neget requiri? At non in Sacramento tanquam partem sed in ministro:* Bellarm. *ut tricis istis se extricaret mentem Concilibabuli explicare & sententiam ponere satagit:* Melius

Melius quidem esse putat habere Intentionem particularem conferendi Sacramentum, sufficere tamen generalem faciendi quod facit Ecclesia, nec opus esse intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunq; illa sit vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani: Nec requiri intentionem actualem, nec tamen sufficere habitualem sed requiri & sufficere virtualem, dandam tamen esse operam, ut habeatur actualis: *Et hæc omnia scripturis destitutus non nisi monstris argumentorum, formarum formas & quæ formantur ab illis, h. e. nugerrimas nugas confingens firmare nititur: Nos vero quia tam operosæ subtilitatis arcana credere forte non possumus, neq; capimus satis, anathematismis ferit, & pro sectariis habet:* Ambrosius quoq; Catharinus *in hunc errorem temere nobiscum lapsus (ita enim loquitur Valentia) & tamen è patribus concilij Tridentini assessor unus, intentionem illam Utopicam, Pontificiorum peculiari scripto redarguit, nisi quod sese Apostolicæ sedi & Concilio subijcit, ut* ait Bellarm. *nos non item.*

προσμ. 2. Baptismus joco collatus non est verus *qui sc. fictè, simulatè, irrisorie nec eo modo collatus est, quo fieri juxta Christi institutionem consuevit: Etsi enim interior mentis intentio non sit absolute ad Sacramentum necessaria, requiritur tamen exterior operis Sacramentalis, ut minister per verba & facta consentanea intentioni administrandi Baptismum testetur sese administrationem Baptismi juxta Christi institutum intendere. Injuriam ergo facit hæreticis (sic enim solent orthodoxos appellare)* Becan. *quando ait* eos asserere esse, validum Sacramentum, ubi res & verba assunt, etsi minister joco vel irrisorie omnino faciat: *Abit item in fumos, quod* Bellarm. *ex nostra sententia regerit:* Verum Sacramentum, esse modo à Psittaco verba illa exterius proferantur &c.

Propos. VIII. Baptismus Johannis est idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi: *Idem inquam Sacramentũ, quod æque ac Baptismus à Christo ejusq; Apostolis administratus, Deo authore institutum, eâdem materia & forma, in eundem finem specificum sit dispensatum: De identitate enim non qualicunq; sed specifica & essentiali hic quæstio est, aliqualem enim & accidentalem inter Baptismum Johannis & Christi differentiam nemo nostrum est qui neget: Essentialem tamen negamus: Nam: 1. Lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. & lavacrum a-*

quæ

quæ in verbo est idem cum Baptismo Christi: Ita enim non scriptura solum Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. *sed &* Catechesis Romana definit, Baptismus Christi *ait* est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ: *Baptismum autem Johannis est 1. lavacrum regenerationis, quia pœnitentiæ,* Luc. 3. 3. Mar. 1. 4. *quæ à regeneratione non nisi nomine differt: 2. lavacrum aquæ* Joh. 1. 33. Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. *3 lavacrum in verbo, quia annexum habuit* verbum tum institutionis *quia fuit à Deo* Joh. 1. 33. Luc. 3. 2 *penes quem est unicè media remissionis peccatorum, quale etiam fuit hic Baptismus* Luc. 3. 3. Marc. 1. 4. *ordinare:* tum ordinationis *quia baptizavit invocatione facta trinitatis, quæ misit eum,* Joh 1. 33. *in nomine Jesu* Act. 19. 5. *pariter ut Apostoli* Act. 2. 38. c. 10. 41. qui *ut* ait Bellarm. baptizarunt in nomine Jesu non solius, verum adjuncto Patre & Sp. S. Baptizari in Jesu Christo non est baptizari alia forma quam Patris & filij & Sp. S. non autem quod in forma Christi sine expressa Trinitate Baptismus conferretur, *ait* Salmer. 1 3. disp. in Ep. ad Rom. d. 1. p. 486. *Una persona Trinitatis aliam non excludit sed includit, quocirca scriptura nunc unam nunc aliam nunc omnes nominat, ut significet omnes tres esse ejusdem essentiæ & potentiæ;* tum promissionis, *quoad dona salutis acquirendæ necessaria,* quia (*sunt verba ipsius* Bellarm. c. 21.) potuit remittere peccata ex devotione & fide accedentium vel etiam ex contritione quam homines concipiebant ex Baptismo Johannis: *Imo vero & liberabat à futuris h. e. æternis pœnis* Matt 3. 7. Luc. 3. 7. *Quod nisi fecisset, Johannes mendaciter de suo Baptismo prædicasset. Est ergo, quod concludendum erat, Baptismus Johannis idem cum Baptismo Christi:* II. *Baptismus N. Testamenti est idem cum Baptismo Christi, est enim non nisi unum Baptisma N. Test.* Eph. 4. 5. *Baptismus vero Johannis est Baptismus Novi Testamenti: Quia non veteris, Moses namq; & Prophetæ usq; ad Johannem* Matth. 11. 13. *in quo cæpit initium Evangelij,* Mar. 1. 1 Matth. 3. 2. *&c. Neq; medij quia inter vetus & N. T. medium non fuit. E.*

ἀποσμ. 1. Pontificij & cum ijs Cinglius, & moderni Photiniani nimis abjectè sentiunt de Baptismo Johannis, *quod solâ elementari aqua constiterit* ut Cingl. *sive* ut Barrad *ait, quod fuerit rudimentarium ad pœnitentiam deducens & q. quoddam præludium gratiæ, sive ut* Biel. *explicat Scholasticorum sententiam, quod in Johannis Ba-*

ui Baptismo nihil aliud fuerit, quam illud, quod totum Iohannes operabatur, exterior videlicet corporis lotio, ita ut nec pœnitentiam nec remissionem peccatorum contulerit: sive ut Lombard. quod Iohannes sola corpora Baptismo suo laverit, à peccatis vero non mundaverit: Et qui ita sentirent jam tum erant Augustini tempore, ut extat l. 1. contr Donat. c. 10 Hi vero, quid aliud agunt, quam quod Baptistam singulari artificio in balneatorem transformant, qui non plus egerit, quam quod uti balneator aliquis plurium corpora in Iordane abluerit? Non enim fuit illius ejus Baptismus aliud præter quam ablutio exterior in aquis, quæ nec remissionem peccatorum, neq; gratiam spiritualem contulit: Quid ergo fuit Iohannes nisi balneator? Probabile item est Bellarmino, Iohannem non esse usum certa verborum forma! Quid ergo fuit ejus Baptismus nisi mera aqua, quia secundum eundem Bellarm. verborum recitatio est forma sacramenti, & Baptismus sine verbo non est nisi exanime cadaver? Dignum sane balneum de quo Christus tam operosè disputaret essetne è cœlo, an ex hominibus, Matth. 21. 25. &c. de quo cum Baptista expostularent, quod tanquam opus Christo proprium sibi vendicaret, Joh. 1 25. & ad quod visendum omnis Iudæa, &c. exiret Matth. 3. 5. Eratne tanti momenti, balneatorem videre, aut propter purgandam cuticulam tam operose excurrere, & uni Iohanni molestum esse Nos vero quod Iohannem plus egisse contendimus, quam ut corpora exterius laverit ceu balneator anathematum fulgura (ex pelvi tamen) in nos conjecta experimur. B. Lutherum in hanc suam societatem (ut solet) rapit quoq; Bellarm. quod disp. d. Baptismo statuerit Iohannis Baptisma non esse Sacramentum: Verum habita est illa Anno 1520, proinde Lutheri judicio debet cum commiseratione legi, fuit enim unus ex illis qui legendo & scribendo profecere, non ex illis qui de nihilo repente fiunt summi, ut ipse Luth. testatur in præf. oper. tom. 1 Quæ Lutheri sententia sit in hanc rem, ex scriptis magis exactis tom. 7. & 8. Jena potuisset, nisi calumniari volupe fuisset, Bellarm. cognoscere.

Prop. 2 Baptisma Johannis non fuit muta Ceremonia, ut nulla verborum forma usus sit Iohannes, ut Bellarm. ait l. 1. de Bapt. c. 20. ex Durando. Neq; fuit hæc: Ego te baptizo in nomen venturi, uti post Ambr. Hieron. Lomb. Thom hodieq; plurimi contendunt: Nam etiam Christum baptizavit eo ritu, quo cæteros, & certe ridiculum fuisset, Christum baptizasse in nomine venturi ait Bellar. l. 1. de Bapt. c. 20. §. 20.

Prop. 3

ꝓp. 3. Post susceptum Baptismum Johannis non potuit suscipi Baptismus Christi: *Potest hoc intelligi vel de jure, quod nemo id jure & conscientia salva facere potuerit, & à Iohanne baptizatus, baptismum reiterare, vel de facto, quod hic aut ille fecerit: Si de Iure intelligat, Pontificij dicent post Baptismum Iohannis necessario esse percipiendum Christi Baptismum, ut est apud* Bell. c. l. c. 21. *quod ex falsa illorum hypothesi assertum est: Quidam itē è nostris dicent plurimos à Iohanne baptizatos potuisse libere Baptismum Christi percipere, aut percepisse etsam, Si de facto, non tam præcise negaverim, quosdam à Iohanne baptizatos à discipulis Christi denuo per errorem aut ignorantiam aut malitiam Baptismum petisse, & semel susceptum dißimulasse, verum fieri illud de jure non potuit, nec debuit: Baptismus enim Iohannis fuit efficax medium remißionis peccatorum, & idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi: Quæ ergo ratio est non iterandi Baptismum Christi ea quoq; est ratio non iterandi Baptismum Iohannis.*

Propos. IX Verisimile est Christum suis manibus baptizasse: *Ita cum* August. *statuo*, qui, intelligimus, *inquit*, discipulos Christi jam fuisse baptizatos sive Baptismo Johannis, ut nonnulli arbitrantur sive quod magis credibile est, Baptismo Christi, neq; enim baptizandi ministerio defuit, ut haberet baptizatos servos per quos cæteros baptisaret, qui non defuit illis humilitatis ministerio quando eis pedes lavit. *Ita conjicitur non solum* ex Joh. 3. 26. *(cui loco frustra opponitur* Joh. 4. 2.) *sed etiam* tum *ex officio ejusdem Prophetico, cujus ratio exigebat ut verbum prædicaret, & Sacramenta institueret & dispensaret*, tum. *ex Iohannis responso* Matth. 3. 4 *(è quo* Bellarm. *conjicit Iohannem esse à Christo baptisatum* l. 1. de Bapt. c. 23.) *necesse habeo â te baptizari, ubi Christum eo loco habet, ut non obstante dignitate personæ baptisare posit*, tum *ex veterum autoritate: Apud* Niceph. *ex Epistola Evodij refertur Christum suis manibus Petro Baptismum contuliße: Apud* Euthymium *Petro & virgini Mariæ, Apud* Tertull. *Apostolis omnibus, quos* Socinus *baptizatos esse negat.*

ꝓp. Frustra aliquam Petri prærogativam inde colligunt Papicolæ, quod eum solum suis manib9 Christus baptizarit: *Nam qui Evodio longe sunt antiquiores, asserunt Apostolos omnes à Christo baptizatos quos sequitur* Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 23. *Neq; Augustini tempore persuasa fuit Ecclesiæ ea traditio de hac Petri prærogativa, quam nunc Ec-*

clesiasticam vocant & forte fortuna in uno aliquo autore obscuro & incerto, non dicam suppositicio reperere: credibile enim putat is Apostolos omnes Christi manibus baptizatos esse: Et præterea, quid si Petro contigisset, baptizari à Christo, nil tamen illud faceret ad Pontificatum Oecumenicum.

Sect. V.

De Fine Baptismi.

Baptismi fines sunt varij: Est enim institutus à Deo, ut esset 1. *organon & medium conferendæ gratiæ remissionis, renovationis & salutis, &c.* 2. *sigillum gratiæ jam collatæ,* 3. *signum & tessera gratiæ jam obsignatæ. De quibus multa disputari solent:* I. *An Baptismus conferat gratiam & vere remittat peccata tanquam Medium divinitus ordinatum.* II. *An conferat gratiam physicè!* III. *An ex opere ut loquuntur operato.* IV. *An deleat omnem culpam & pœnam:* V. *An efficacia ejus sese extendat in futurum ita ut futura peccata remittere possit.* VI. *An imprimat characterem indelebilem:* VII. *An sit gratiæ divinæ sigillum. Ordine dicam de singulis.*

Propos. I. Baptismus est Medium remissionis peccatorum, justificationis, gratiæ divinæ & salutis conferendæ: *idq; asseritur: Quia est lavacrum regenerationis per quod salvamur,* Tit. 3. 5. *lavacrum ex quo regeneramur* Joh. 3. 5. *lavacrum aquæ quo mundamur* Eph. 5. 26. *lavacrum quo salvamur* 1. Pet. 3. 21. *medium quo Christum induimus* Gal. 3. 27. *medium quo in fœdus Dei recipimur* 1. Pet. 3. 21. *medium quo in Dei filios adoptamur* Tit. 3. 5. Gal. 3. 26. 27. *medium quo remissionem peccatorum impetramus* Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 38. c. 22. 16. *& participes reddimur beneficiorum mortis Christi* Rom. 6. 3. *Medium quo salvamur* Mar. 16. 16. Joh. 3. 5. Tit. 3. 5. *& iram futuram subterfugimus,* Matth. 3. 7. Luc. 3. 7. *Quæ effecta Baptismo vere & propriè competunt quidem, verum non ut causæ principi, quæ solus Deus est: E. ut organo sive instrumento.*

προλεψις Errant proinde qui Baptismum efficax gratiæ &c. medium esse & vere regenerare, vere peccata remittere, vere salvare negant *ut erant olim Messaliani, qui teste Alphonso de Castro dicebant nullam utilitatem baptisatis ex Baptismo accedere sed solam orationem studiosam Dæmonem inhabitantem effugare, quos hodie*

Greg. sequuntur 2. Photiniani *qui Baptismum habent pro Ceremonia temporaria in qua non consistat regnum Dei, cui regeneratio sine idolatria ascribi non possit, qui ut res materialis effectum spiritualem producere non possit, nec mentem & cogitationes nostras mutare, quem non jussu sed permissu Christi administrarint Apostoli, ideoq; non sit Ecclesiæ præscriptus, nec Christianorum proprius, nec ad Christianum efficiendum aut declarandum necessarius, cum jam lex Christi spiritualis mundo innotuerit, quæ & similia emblemata alia de Baptismo spargunt Photiniani:* 3. Anabaptistæ, *qui Baptismum efficax regenerationis & spiritualium donorum conferendorum medium esse negant:* 4. Weigeliani *qui neq; necessarium neq; utilem baptismum esse contendunt.* 5. *Ex Arminiana* Episcopius *qui Baptismum pro rito temporario habet, qui nullo Christi præcepto sit exercitus, nec conferat dona spiritualia sed solum sit signification & professio fidei nostræ, quod posterius etiam asserit* Velsingius, *ac ante eum ipse* Arminius. 6. Calvinistæ, *qui pro analogia sua sacramentaria concertant tanquam pro aris & focis, & asserunt Baptismum esse non causam sed signum regenerationis, & sigillum quod non faciat Christianum, mundationem Eph. 5. 26. lavacro aquæ figurari & pijs assecurari, quod per sanguinem & spiritum Christi sint purgati, atq; ab æterna morte redempti, signari Baptismo aquæ, quod Christum induerint fideles Gal. 3. 27. non facere baptismum homines sanctos sed justificationem tantum obsignare, virtutem regenerandi non habere, palpabilem vero errorem esse, quo vis causativa gratiæ principalis quidem Deo, instrumentalis autem Sacramentis tribuatur, quæ & plura alia* Calvini Bezæ, Piscat. Martyris Zepperi, Tossani, *& aliorum in hanc rem sunt* Φορτικὰ ἀκούσματα. *Quibus tamen è proprijs gregalibus* Calvinus (*sibi contradicens,*) Aretius Ursinus Marlorat. Chamier. *alijq; contrarij sunt. Oportet vero illos omnes cum* Sohnio *asserere, (modo velint* Φυλάττειν *thesin suam) figuratas improprias & metonymicas esse omnes propositiones de Baptismi efficacia quæ in S. S. occurrunt, h. e. scripturas pro arbitrio torquere, sicut furor soler dentibus corium.*

Propos. II. Baptismus non est Medium gratiæ conferendæ Φυσικὸν sed morale ὑπὲρ Φυσικὸν & Sacramentale. *Non inquam Physicum quod ex virtute aut qualitate supernaturali in elemento corporeo inhærente agat in animam eamq; regeneret effective, aut disponat ad eam: Sed Morale sive sacramentale, quod non ex qualitate sibi inhærente, sed*

Sacerdotis & instituto divino peculiariter assistente & comitante gratiam conferat, offerat applicet & obsignet: Quia homo sola fide justificatur, ut constat solide suo loco: Non ergo per Baptismum physice justificari potest: Consequentia valida est, quia secundum Pontificios quoq; Sacramentorum operatio physica, opponitur operationi illi quæ fit per fidem: Lutherani *aut* Bellarm. quibuscunq; verbis Catholicorum utantur non possunt ullo modo sentire quod nos sentimus, Sacramenta esse veras & immediatas (physicas) causas justificationis, nisi recedant à primo illo suo principio, sola fides justificat, l. 2. de Sacr. c. 2

Corollarium. Errant è Scholasticis illi qui asserunt Sacramenta esse causas physicas gratiæ per aliquam qualitatem inhærentem, *ut* Alensis Thomas Durandus, *ubi tamen magnæ molis erat Romanam condere gentem & Thomam sic sentientem in tuto ponere, struentibus his, demolientibus illis:* Domin. à Soto, *omnes fere Theologi ait, præter S. Thomam opinati sunt Sacramenta non esse causas sed certa signa:* Aegidius de Coninch *difficilem & omnino inconceptibilem dicit Thomæ sententiam de Physica causalitate,* Gabriel Vasquez *affirmat ante paucos annos in Hispania invaluisse opinionem Thomæ, & paulatim obsoleviße, & contendit esse causas morales,* Sotus *ait Sacramenta non producere ullam qualitatem, sed facere ut homo sit Deo acceptus, quam opinionem pro inintelligibili habet* Valentianus: *Quidam, ut* Alex. Capreol. Paludan. & Thomas *aliquando causari putabant gratiam à Sacramentis mediate per productionem formæ ad quam sequatur gratia Dei per procreationem,* Cajetan. *distillato Thoma facit extractum & asserit Sacramenta esse causas Instrumentales quasi physicas sed tamen supernaturales, quem sequi vult* Valentia: Suaretz *contendit esse causas gratiæ per veram actionem physicam, non quod efficiant solum dispositionem aliquam ad gratiam, aut unionem gratiæ cum anima, sed quod ipsa actio physica per quam gratia fit, & educitur de potentia obedientiali animæ, vere realiter & physice pendeat à Sacramentis: Quæ etiam est sententia* Bellarmini: Bonaventura *vero,* Occam Gabriel, Richardus, *Sacramenta negarunt conferre gratiam, ipsis tamen adhibitis Deum ex pacto & promißione gratiam producere: Ita scilicet homines isti inanißs oppleti sunt atq; araneis, ut dicere posßis de his litigijs non minus verè quam olim de suo sacco Catullus: Plenus sacculus est aranearum: Quid vero Con-*

Concilium Tridentinum? Ita composuit & libravit verba, ut arcanum istarũ operas occultare potius quam dejicere videretur, ne quis sibi conqueri posset præjudicium factum esse: Forte non fuit otium aut lubido Concilio componere, vide Sess. 7. can. 6. 7. 8.

Propos. III. Baptismus non confert gratiam ex opere, ut ajunt, operato, *h. e. ex vi ipsius actionis Sacramentalis, ita ut fides ad efficientia gratiæ Sacramentalis excludatur: Sacramenta quidem & inter ea Baptismus ut absolute in se & à parte Dei considerantur, immediate conferunt gratiam ex vi non actionis sed institutionis divinæ, neq; fides aut pœnitentia dant ullam efficaciam Sacramentis quam habent à Deo: Prout tamen relata & à parte nostri spectantur, ut sunt Sacramenta nobis utilia, necessario requiritur fides non ut dispositio quæ obstacula tollat, quæ impedirent ne Sacramentum efficaciam exerceret, sed ut organon per quod beneficiorum in Sacramentis oblatorum reddamur participes: Deus enim gratiam suam offert quidem per Sacramenta, confert autem ijs solum qui oblata sibi beneficia fide apprehendunt: Non ergo virtus Sacramentorum pendet à fide sed à Deo, ut tamen nobis sint salutaria oportet adesse fidem ut organon apprehendens ex parte nostri: Nam fide justificantur, regenerantur renovantur, in filios Dei adoptantur, salvantur homines ut constat: Ubi ergo hæc effecta sunt, ibi oportet adesse fidem ut causam: Alias enim quædam justificatio regeneratio &c. foret absq; fide quod ἄτοπον, In Baptismo autem salutariter collato sunt hæc effecta: Baptismus justificat, regenerat, salvat &c. In Baptismo ergo oportet adesse fidem, aut ergo fides in Baptismo justificat per Baptismum, quod esse nequit, quia Baptismus non dependet à fide, aut Baptismus per fidem, & sic mediante fide non vere ex opere operato: Recte Hugo:* Gratia non est à Sacramentis, neq; de Sacramentis, sed oritur à fonte æterno & ab illo hauritur ab anima *(per fidem)* in Sacramentis.

προσιμ. Pontificij errant, quotquot ex opere, ut ajunt, operato Baptismum salutis causam esse contendunt, *idq; nisi fallor* noviter, *quia Innocentius 3tius si* Valentiæ *creditur*, primus est, qui ante annos abhinc quadringentos modum illum loquendi usurpavit, *sane* Sotus *fatetur modum istum loquendi neq; in scripturis neq; apud antiquos patres reperiri:* Turpiter *item, quia* Tappero *teste est verbum barbarum, & monstrum phraseos, à Scholasticis, latinitatis ignaris odiose & otiose confictum,* inconstanter *etiam, quia ut* Vasquez

autor

aliter est legitimus sensus horum verborum & vera origo hujus modi loquendi hactenus forte esse non est exacte explicatas; Alberto *opus operatum est perfectio operis externi sine motu interno,* Paludano, Bieli, Mensing *Sacramenta N. T. conferunt gratiam ex opere operato etsi non accedat opus operans, sive fides & devotio interior suscipientis,* (*quod cum* Chemnit. *ex Scholasticorum sententia dixisset,* Bellarm. *tamen calumniam vocat*) Radæ, *Sacramentum conferre gratiam ex opere operato est ex propria virtute illam dare absq; mente operantis, licet requirat dispositionem ex parte recipientis, sc quod non ponat obicem gratiæ &c.* Altensteig, *Opus operatum est ipsum opus vel signum exterius, quod fit ad significandum aliquid ex institutione & pacto:* Bellarm. *Ex opere operato gratiam conferre est idem ac conferre ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo institutæ, non ex mente agentis vel suscipientis, ex quo descripsit ejus compendiator* Becan. Valen. *Ino verò Hoc modo loquendi* (*ex opere operato*) *Doctores usi sunt, ut plenius duas res indicarent, quæ utiliter in proposito notari possunt: Una est virtutem Sacramentorum ad efficiendam gratiam non existere in ullo opere vel bono motu hominis operantis, dum vel administrat vel suscipit Sacramentum, sed in ipso Sacramenti opere operato id est exercito,* (*usurpant enim illam vocem passivè,*) *contineri ex institutione divina: Altera res est, discrimen esse cum gratia hujusmodi confertur extra Sacramentum & cum confertur in Sacramento. Hæc illi, Aliter alij, quos omnes in chartam conjicere non est necesse, satis quidem magnifice & plausibiliter, ex parte quoad verba, modo non lateret anguis in herba, quæ satis sese prodit apud* Bellarm. *in hac controversia aliquot pagellis operosissimum.*

Propos. IV. Peccatum sive culpa in Baptismo tollitur quoad formale (*ut vocant*) sive reatum, manet quoad materiale, fomitem sc. radicem & actum: *Remissio quidem omnis culpæ in Baptismo nobis plene & perfecte contingit, sed renovatio demum incipit, & perficitur de die in diem* 2. Cor. 4. 16. c. 7. 1. Eph. 4. 23. Col. 3. 10. 2. Cor. 3. 18. *donec aliquando ubi plene in altero seculo percipitur efficacia Baptismi, ad perfectionem omnibus modis absolutam deveniat: Ut vero statim & ordinariè in Baptismo tollatur peccatum quoad materiale & formale, ita ut non solum non imputetur sed nec sit quod imputari possit, id vero repugnat: 1.* Scripturæ *quæ in renatis per Baptismum affirmat superesse peccatum* 1. Joh. 1. 8. 2. Sanctorum querelæ, *qua fit de peccato in hac-*

in inhabitantibus in carne Psal. 19. 15. Psal. 32. 6. Psal. 130. 1. Psal. 143. 2. Rom. 7. 7. 3. Orationi Dominicæ, *ubi qui renati sunt petunt tamen remissionem peccatorum*, 4 Monitioni quotidianæ *de peccatorum sordibus deponendis* Rom. 6. 12. c. 8. 12. 1. Cor. 5. 7. 2. Cor. 7. 1. c. 4. 16. Eph. 4. 23. 24. Col. 3. 9. 5 Usitatæ loquendi formulæ, *quæ asserit peccata tegi* Psal. 32. 2. Psal. 85. 3. *At vero tegitur obtegiturq; id quod est, non vero quod non est: Non imputari* Psal. 32. 2. Rom. 4. 8. *quæ vero non insunt, ea nunquam dicuntur non imputari, sed imputari potius quæ non insunt, sicut Christo imputata sunt nostra peccata: Remitti,* Psal. 32. 1. *& alibi frequentissime:* ἄφεσις *vero* ἀμαρτιῶν, *similitudine debitoria declaratur inter homines contractorum,* Matth. 6. 11. c. 18. 23 seqq: *Debita autem non remittuntur aliquod operando in ipso debitore, sed tantum ei non imputando æs alienum, ne luat quod debet: Hebræi quidem dicunt auferre peccata, & utuntur sæpius verbo* נשא, Ex. 34. 6. Num. 14. Psal. 32. 1 *& alibi sed phrasi illa indulgentia in peccatores & culpæ remissio indicatur, & dicitur etiam de hominum in peccatores indulgentia* 1. Sam. 15. 25 c. 25. 28. *At homo hominis peccata non aufert nisi indulgendo, & non imputando culpam, non vero illam radicitus extirpando:* & Scholasticorum sententiæ, *quæ gratiam Baptismalem dicit esse incipientium non perfectorum.*

Propos. V. Pœna absolute & formaliter dicta tollitur in Baptismo: *Potest pœna dupliciter intelligi vel* proprie & formaliter, *quatenus ab actu justitiæ distributivæ in foro judiciario secundum proportionem culpæ & propter eam imponitur: vel* impropriè & q. materialiter, *quæ ab actu providentiæ divinæ non præcise propter culpam & secundum ejus proportionem sed propter alios fines imponitur, & dici solet pœna materialiter, quia in materiali, quod est dolor sive afflictio & ægritudo, molestè faciens carni, utrinq; conveniunt Etsi igitur quoad statum hujus vitæ pœnalitates quas vocant, non tollantur absolute per Baptismum, tolluntur tamen omnia quæ habent rationem pœnæ etiam sub ratione pœnæ in hac vita, & demum plene & perfectè secundum materiale & formale tollentur in altera, ubi fructus meriti Christi quo ad efficaciam plenè percipietur, Hoc vero quod dico sequitur ex prop. priori: Quia sublata in Baptismo culpa tollitur pœna: Unde juxta* Paulum *nil est damnationis in iis qui sunt in Christo Jesu.*

πρόλημμα. 1. Errant Jovinianus & Pelagius *qui hominem baptisatum dixerunt esse impeccabilem, & absolvi à damnatione; ita ut damnari non possit qui baptisatus est etsi perditissime vivat.* Giselbertus item Angliæ Doctor *circa annum Christi 1000. post Baptismum neq; Originale neq; actuale peccatum in baptisatis superesse voluit.*

πρόλ. 2. Errat Concilium Tridentinum *quod in Baptismo, ait, tolli reipsa omne id quod habet in homine rationem peccati:* Clarius Bellarm. c. 13. *quod in Baptismo tollantur omnia peccata ita ut non solum non imputentur, sed nec sit quod imputari possit:* Disertius Lindanus *Externo aquæ signo adhibito ita animam sordibus abluit, atq; reatibus semel expiat, nihil ut maneat sordium nihil ut supersit reatuum.*

πρόλημμα. 3. Errat Bellarm. *quod hæresin Origenistarum & Messalianorum à Lutheranis dicit esse renovatam, quia credant quod peccata non tollantur per Bapt. sed solum tegantur; à quorum quidem hæresi prout eam* Epiphan. hær. 64 Alphons. de Castro l. 3. de hæret. tit. Bapt. *ipse quoq;* Bellarm. de not. Eccl. c. 9. *describit, procul abfumus.*

Propos. VI. Baptismi efficacia ita sese extendit in futurum, ut ad fœdus gratiæ in eo semel initum semper homini pœnitenti per fidem pateat reditus: Bellarm; *ut solet, statum controversiæ insidiose format* l. 1. de Pœnit. c. 12. *& pervertit mentem nostram* l. 1. de Bapt. c. 18. *& pro autoritate sua nobis affingit sententiam, ut vocat,* satis delicatam & mollem, ut ne Epicuro quidem merito displicere queat, *Baptismum sc. ex nostrum opinione non aliter justificare nisi subjiciendo ante oculos promissionem & eo modo excitando fidem, & inde, cum quis peccat, per solam memoriam posse iterum redire ad gratiam illam Baptismi, Sacramentum vero pœnitentiæ, nihil aliud esse nisi ipsum Baptismum memoria & fide repetitum &c:* Mentitur Bellarm! *Hæc sententia nostra est, hoc asserimus, Baptismum non præterita solum sed & futura peccata purgare, non tamen immediate, sed mediate ut baptisatus per gratiam Dei in Baptismo collatam habere possit remissionem peccatorum venialium, post commissorum, & licet peccet mortaliter, attamen non per nudam sed* fidelem *memoriam & veram pœnitentiam, ad fœdus gratiæ in Bapt. semel initum semper reditum habeat: Ipsa quidem Baptismi actio, sive opus ut vocant operatum, non extenditur in futurum, & sic per illud opus operatum quod dudum transijt, neq; reiterari potest,*

nemo

demo redit in gratiam, efficacia tamen ejus operis sive quod idem est, gratia Dei in Baptismo collata ex parte Dei tam rata est & firma, ut peccatori millies peccanti, millies tamen per seriam pœnitentiam & fidelem memoriam redeunti ad illam pateat aditus, proindeq; remissionem peccatorum sibi per fidelem illam Baptismi memoriam polliceri possit: Fœdus enim gratiæ Dei est perpetuum, Gen. 17. 7. Es. 54. 10. Rom. 3. 3. ἀμεταμέλητα Rom. 11. 29. *Deus quoq; fidelis est* 2. Tim. 2. 13. *qui monet peccatores ut recordentur unde exciderint* Ap. 2. 5. *& verâ pœnitentiâ ad fœdus semel in Baptismo initum sese recipiant* Col. 2. 13. Eph. 5. 25. 1. Pet. 3. 21. Ebr. 10. 22. 1. Cor. 6. 11. Gal. 3. 27. *Et nisi Efficacia Baptismi in futurum sese extendit, edisserat Pontificius, quomodo Hypocrita, qui fictè accedit ad Baptismum & post committit peccata mortalia, fictione tamen recedente,* Baptismi cum fide & contritione efficaciam habeat, *ut ait* Alensis, *idq; non ex vi contritionis sed virtute Baptismi uti demonstrat* Rada, (*cui contradicit* Valentia) *Edisserat, quo jure Paulus Galatas,* Gal. 3. 27 *& Corinthios* 1. Cor. 6. 11. c. 12. 13. *& Ebræos* Hebr. 10. 22. *eo quod baptisati sint, bono animo esse jubeat? quid si regessissent Baptismi efficaciam sese non extendere in futurum? quo item jure David* 1. Sam. 16. 26. *& Jonathan* 1. Sam. 14. 6. *circumcisionis fœdere confisi adoriri potuerint hostes, si circumcisionis (& Baptismi qui successit) non est efficacia in futurum.*

ψοεύσμα Malè Pontificij contendunt Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solum ad præteritum, *& fidei memoriâ suscepti Baptismi nulla vel dimitti vel venialia fieri peccata, quæ dere videre licet* Concil. Trident. sess. 14. can. 2. Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 18. Cost. Ench. p. 370. &c.

Propos. VII. In Baptismo non imprimitur Character indelebilis: cujus officium sit aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo & distinguere ab alijs, *ut ait* Bell. l. 2. de Bapt. c. 19. *sive, ut ait* Valent. qui sit signum Spirituale seu Spiritualis nota in fidelium animis indelebiliter à Deo impressa, primum ut destinentur ad cultum Christianæ religionis præcipue in hoc positum ut vel recipiantur vel administrentur Sacramenta, Deinde ut eo signo sive nota distinguantur à cæteris, qui notam ejusmodi non habent, ac demum ut ea ratione fiant quasi quoddam peculium Christi Sacerdotis, quatenus videlicet illius vir-

tute notam ejusmodi seu signaculum acceperunt, ut functus est munere communicandi atq; dandi Spirituales atq; divinas istiusmodi res hominibus &c. *Equidem si χαραγμα vel ut veteres loquuntur, sigillum sive signaculum dicere lubet sive testimonium Sp. S. in nobis δεν ιοδεσίας, sive illud, quo testimonium illud confirmatur, omnino nobis imprimitur character aliquis sive in Baptismo id fiat sive verbo Dei*, 2. Cor. 1. 21. 22. Eph. 1. 13. c. 4. 30. *Neq; si character sit nota vel signum rem unam ab alia distinguens, eo sensu Baptismum characterem esse negamus, quia est nota signum & character fidei nostræ, nos à non baptisatis distinguens, quomodo & veteres Baptismum dixere characterem. Ejusmodi vero characterem qualem in suis gurgustijs deblaterant & somniant Papicolæ, ignoramus: Quia Sacramenta & inter ea Baptismus omnem efficaciam ab institutione sortiuntur, sine qua & extra quam nihil valent: Character autem ejus q; impressio non est in institutione Baptismi & reliquorum quibus illum affingunt Pontificij, neq; inde ullum hactenus adversarij petere potuere præsidium. E.*

προσαμ. Errant Pontificij Doctores, qui asserunt cum Concilio Tridentino: Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo sc. Confirmatione & ordine non imprimi Characterem in anima hoc est signum quoddam Spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit: *Magni profecto momenti res est anathema dicere, hoc est, diris ad ultimum exitium devovere, dignumq; maledictione, ira & pœnis æternis pronunciare, causam ergo anathematis diriq; fulminis oportebat esse non levem: Paterculi vero illi Tridentini anathemate nos dignos habent, quia recentissimum Scholasticorum de charactere commentum credere non possumus, de quo an vere sit, & quid sit, inter illos ipsos Magistros nostros nondum convenit: Non erat opinor anathematis ludendum, ut pueri astragalis solent*: Gabriel Biel *vocem Characteris nec in S. S. nec apud vetustos scriptores extare ait in hac significatione nec rationem necessariam demonstrare, nec evidentem autoritatem probare quod ponendus sit ejusmodi character, unam vero autoritatem esse quæ aliquid faciat pro Charactere quod Innocent. 3tius videatur de Impressione characteris in Baptismo loqui*. Scotus Bell. teste *dubitat de ratione probandi Characterem ac dicit non posse probari ex aliquo manifesto scripturæ testimonio vel etiam ex patribus* Durandus, *ut ait* idem, *decet Characterem esse Ens rationis h.e. repectum adrenientem*

rem ex deputatione ad certum officium, qualis est relatio in Doctoribus prætoribus &c: quæ sententia vix distinguitur ab hæresi hujus temporis: Cajetanus *Sacramenta* inquit *imprimere characterem ex Sacra scriptura non habetur sed ex Ecclesiæ autoritate & non multum antiqua*: Altenstaig in Lexico Theologico: sed neq; ait, *autoritates sacræ scripturæ neq; sanctorum Patrum originalia cogunt ponere characterem ad hunc intellectum in quo accipitur à recentioribus, &c: Quare*, inquit paulo post, *ponere characterem eo modo quo definitus est nec ratio necessaria demonstrat, nec Evidens autoritas probat*: Bellarm. *ipse diffidit causæ, & non deesse dicit loca scripturæ, unde character probari possit, sed adjuncta interpretatione patrum & Ecclesiæ (h. e. Pontificis Romani:) Pariter* Valentianus *characterem confirmans: Quod Ecclesia Christi (Romanam intellige) de rebus fidei definit id infallibiliter verum & certum est ex fide: Sed Ecclesia definit imprimi characterem. Ita scilicet hominibus istis fides semper est in fieri, qui semper aliquid articulis addunt per Ecclesiæ definitionem, nunquam in facto esse: Quid vero tandem sit ille Character, nondum Papalis autoritas definivit: An sit genus entis absolutum an relatum, An in sola anima an in facultatibus intellectu vel voluntate sit, An qualitas primæ, secundæ tertiæ vel quartæ speciei sit, quæ ejus effecta sint, quæ causa cur indelebilis sit Hæc & similia non pauca mysteria hic habent Pontificij, quæ omnia captum superant Christianæ simplicitatis, & tamen tam confidenter, quod rem, de qua an sit, quid sit, ubi sit, nesciunt ipsi, credere nolumus, anathematismis nos sauciunt.*

Propos. IIX. Baptismus est Gratiæ collatæ sigillum, *sive ut* Dyon. *sigillum pactionis divinæ, ut* Autor Imperf operis in Matth. *fidei signaculum, ut* Tertull. *fidei obsignatio, ut* Basil. σφραγὶς τῆς πίστεως, *ut* Cyrill. *signaculum sanctum & indelebile: Quia* 1. Circumcisio fuit σφραγὶς *justitiæ fidei* Rom. 4. 11. *non illius, quæ suo demum tempore esset patefacienda, ut* Origen. *interpretatur, sed illius cujus vere particeps fuit factus Abraham & quam fide acquisivit, ut* Chrysost. Theophyl. *explicant, neq; fuit sigillum soli Abrahæ, ut glossatur* Bellarm. *sed omnibus fidelibus datum, quia ijs omnibus fuit institura,* Gen. 17 10. 11. *Natura enim Sacramentorum est eadem ratione omnium credentium, quia sunt bona totius Ecclesiæ: Tum etiam non ad solum Abrahamum pertinebat promissio & fœdus, Ergo nec ad illum solum spectabat*

promissionis & fœderis sigillum: cujus enim est fœdus ejusdem etiam est sigillum fœderis: *Aut ergo pariter in N. T. Baptismus est sigillum justitiæ fidei, sicut in V. T. circumcisio, quia successit illi, aut sors Judæorum sub umbris melior fuit atq; felicior nostrâ, ubi umbræ evanuere, & corpus accessit, quod nobiscum non facile dabit* Bellarm. 2. *Baptismus est* ἐπερώτημα *bonæ conscientiæ* 1. Pet. 3. 21. *quia ex illo oritur* pax & quies conscientiæ & responsio bonæ conscientiæ & etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia Deum accedere, *ut ait* Bellarm. *Pax autem illa conscientiæ unde fluit nisi ex Sp. S. testimonio, quod præbet in nobis de gratia Dei, eoq; illam nobis obsignat & confirmat?* 3. *Baptismus est testimonium de beneficijs Christi nobis partis* 1. Joh. 5. 6. *gratiâ sc. divina, remissione peccatorum & salute: Quid vero illud testimonium est nisi sigillum sive signaculum pactionis divinæ?*

παρεπτρ. Bellarm. cum suis errat, quod Baptismum negat esse gratiæ divinæ sigillum l. 1. de Sacr. c. 14. *eoq; nomine* B. Luth. *exagitat in præf. ad l. de Sacr.* Lutherum dimittam, *ait*, si unum ab eo quæsiero, in quonam Evangelista, aut Apostolo aut Propheta legerit Sacramenta novæ legis esse testimonia vel sigilla verbi Dei: *Ipse tamen sui immemor* l. 2. de Sacr. c. 8. Sacramenta *ait* instituta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum & gratiæ Dei: *Et* Valent. de eff. Sacr. c. 2. *ait* Sacramenta novæ legis esse efficacia signa & sigilla promissionis divinæ cap. 5. *itidem* ait Sacramenta V. T. fuisse pignora, neq; id negari debere: *Cur ergo vapulat optimus Lutherus, quod prævia scriptura, & pijs patrum dicterijs sigillum vocavit?*

Sect. VI.

De Fine Cui Sive Obiecto Baptismi.

Objectum Baptismi sunt Homines quorum gratia institutus est Baptismus, quæri autem potest: 1. An soli, 2. An vivi tantum & non mortui, 3. An nati tantum, 4. an adulti sine discrimine, 5. an infantes, 6. an infantes infidelium extra Ecclesiam, 7. an expositi itij sint baptisandi, 8. an fide-

an fidelium infantes ante Baptismum sint Sancti: 9. An possint habere fidem, sive An ejus sint capaces: 10. An actu habeant Dum baptizati sunt, 11. Qualis sit illa fides & 12. *An infantes non baptizati damnentur: de singulis per certas positiones:*

Propos. I. Soli Homines sunt baptisandi: *Est enim tum institutio solis hominibus facta* Matth. 28. 19. *tum actio Baptismi solis hominibus ab Apostolicis viris collata, tum finis regeneratio sc. & renovatio, solis hominibus conveniens. Idq; satis manifestum est.*

προ. Reijculus Ergo est Baptismus 1. Campanarũ *in Papatu institutus, & à Joh. 13. Pontifice Romano primum, uti volunt, institutus, qui magnam campanam ad Johann Lateranensem baptisari & à sese denominari curavit: Vide* Steidan. in hist. anni 1549. & Wier. l. 1. de præst. Dæm. c. 9. *Negant equidem sese baptisare campanas Papicola, sed solum consecrare, verum negant solum nomen & rem asserunt, negant definitum & ponunt definitionem,* 2. Bestiarum *sicut* Bodin. *mos est bubones baptisari in usum veneficorum solere, & de Alfono duce refertur, quod equum & capram baptisatam in exercitu habuerit,* 3. Monstrorum *pecuinam non humanam præsese speciem ferentium, de quibus ex signis exterioribus constat, quod animâ rationali prædita non sint! Res vero secus se habet in ijs, qui veri hominis formam & figuram habent, etsi ignobilioribus corporis partibus quandam monstrositatem habere videantur.*

Propos. II. Soli Homines vivi sunt baptisandi: *est enim Baptismus eorum qui doceri & institui possunt* Matth. 28. 19. *est eorum qui regenerationis & renovationis capaces esse possunt,* Tit. 3. 3. *qui à peccatis mundari possunt* Eph. 5. 26. *quibus peccata remitti possunt,* Marc. 1. 4. Act. 2. 38. c. 22. 16. &c. *Hæc vero mortuis non competunt sed solis vivis.*

προ. νεκροβαπτισμὸς ille rejcitur, qui in usu erat *teste* Epiphan. *apud* Cerinthianos, Caraphryges, & Marcionitas, *qui vivorum Baptismum vivis loco mortuorum non baptisatorum conferebant.* Cum quis, *ait de illis* Chrysost. apud ipsos initiatus obit, unum aliquem sub mortui lectum recondunt, mortuum circumstant, alloquuntur, rogant, velitne baptizari? deinde cum nihil respondeat is qui subtus latet, pro illo respondet baptisari velle, Eum deinceps pro mortuo baptisant. *Sicut etiam Judæorum hunc ritum fuisse legimus, ut si quis à vivis citius quam legali expiatione potuisset*

mun-

vetur excederet, genere propinqui sibi legalem illam expiationem per sacerdotem adhiberi curarent; Diu autem in Ecclesia obtinuit ista corruptela, ut constat ex Concil. Carth. 3. can. 6. *ubi cavetur* ne mortuos baptisari posse fratrum infirmitas credat: *Et hinc etiam, nisi fallor Clinicorum sive Grabbatariorum Baptismus ortus est, de quo inferius.*

Prop. III. Soli Homines nati sunt baptisandi: *Est enim Baptismus lavacrum regenerationis: Qui ergo nondum sunt nati, vel ex toto vel ex parte, non possunt regenerari,* Regeneratio, *ut ait* Augusti. dici non potest ubi generatio non præcessit. Qui natus adhuc secundum Adamum non est, *ait* Isidor. secundum Christum non potest renasci: B. Luth. Soll ein Kindlein getaufft vnd also anderwerts gebohren werden/so ists von nöthen daß es vor einmahl gebohren vnd auff die Welt kommen sey: ꝛc.

προλεψις. Gravissime errarunt olim, qui infantibus in utero matris de vita periclitantibus, matris uterum aqua adspergebant, *& hac ratione infantes baptisari credebant, quorum errorem* Augusti. *refutat, & post eum* Lombard. l. 4. Dist. 6. *Nec minus ij impingunt, qui putant princeps membrum, quod è naturæ janua excesserit, baptisandum esse, aut validum esse Baptismum, si arte & operâ obstetricis posset aqua usq; ad ipsum infantem in utero pertingere, quod opinantur* Victoria, Grabriel, Valentianus, *& alij.*

Propos. IV. Homines adulti sine discrimine sunt baptisandi, *sive gentiles sint sive Judæi* Matth. 28. 19, Act. 2. 8. 10. 16. 18. capp. 1. Cor. 12. 13. Rom. 10. 12. 1. Cor. 1 24. Gal. 3. 28. Eph. 2. 14. *sive mares sint sive fœminæ* Act. 8. 12. c 16. 15. 1. Cor. 1. 16. Gal. 3. 27. *sive cælibes sint sive conjugati, sive servi sint sive liberi* 1. Cor. 12. 13. Gal. 3. 27. Col. 3. 11. *prius tamen antequam baptisentur in fide informandi ad eamq; capessendam persuadendi, ad Exemplum Joh. Baptistæ & Apostolorum, qui prius docuere adultos quam baptizarent,* Matth 3. 6. Luc. 3. 3. Act. 2. 38. 41. c. 8. 12. 13. 38. c. 9. 17. c. 10. 44. c. 16. 14. 15. 32. c. 18. 8.

προλεψις. Impium fuit monachi cujusdam & sacrificuli Misnensis dicterium *qui fœmellas baptisaturus dicere consuevit* Getaufft vnd Ersaufft/ *qui tandem justo Dei judicio, quod fœmellas opta-*

tas optaret omnes submersas, de ponte in Albim prolapsus & submersus est ipse, ut Georg. Fabr. Chemnicensis, autor est. Nec minus Alex. Alens. inepte disputat Baptismum Johannis non conveniisse mulieribus ne in conventu populi nudarentur! Quasi vero absq; totali immersione Baptismus administrari non potuisset?

πορ. 2. Invito non est obtrudendus Baptismus: Primum enim docendus est adultus & persuadendus ad fidem cujus sigillum est Baptismus antequam baptisetur: Nec vero Deo placent coacta obsequia, Conf. Matth. 7. 6. c. 10. 14. &c.

πορ. 3. Amentes & furiosi, qui tales facti sunt (non nati, quorum eadem quæ infantum est ratio,) baptisari non possunt, quamdiu ad mentem non redeunt & doceri non possunt.

Propos. V. Infantes etiam sunt baptisandi: pro quibus ut August. ait tanto magis loqui debemus, quanto minus loqui possunt ipsi, eorũq; παιδοβαπτισμὸν è S.S. ita asserimus: 1. Ad infantes pertinet peccatum Job. 14. 4. Psal. 51. Rom. 5. 14. Eph. 5. 3. sunt enim caro de carne nati Joh. 3. 6. E. & peccati remedium, quod Baptismus est, nisi velis infantes utpote peccatores excludi à gratia & remedijs adversus peccatum quod tamen Deus non vult Matth. 18. 14. Luc. 18. 15. 2. Ad infantes pertinet salus, Matth. 19. 14. E. & Salutis medium, quod Bapt. est, Qui enim vult finem, vult quoq; media, è quibus est Baptismus, sine quo ordinarie nemini contingit salus Joh. 3. 5. proindeq; est medium saluti consequendæ necessarium: 3. Ad infantes pertinet promissio & fœdus Gen. 17. 7. Act. 2. 38. 39. E. & promissionis Sacramentum sive medium quod in N. T. non nisi Baptismus est. 4. Ad infantes pertinet institutio Baptismi, Omnes enim gentes baptisandæ Matt. 28. 19. quas inter & infantes, nisi forte ad solas gentes adultas mandatũ à Christo restringi è textu conviceris, quod fiet ad Calendas Græcas: Ubi itaq; textus non limitat aut distinguit neq; nobis est pro lubitu limitandum. 4. Ad infantes V. T. pertinebat circumcisio Gen. 17. 7. seqq. E. Baptismus ad infantes N. T. quia utriusq; est par ratio, eadem causa, necessitas, finis & efficacia: Sicut ergo à circumcisione in V. T. arceri non poterant infantes, ita nec in N. T. à Baptismo: 5. Infantes pertinent ad Ecclesiam ita ut ejus membra fieri possint, Capaces enim sunt privilegiorum solius Ecclesiæ, utpote salutis Matth. 18. 14. aditus quoq; patet ijs ad Ecclesiam, Gen. 17. 7. Act. 2. 38. E. ad eos quoq; pertinet Baptismus quo lavatur Ecclesia ejusq; membra

Eph. 5. 26. *quiq; est bonum solius Ecclesiæ & membrorum ejus proprium, quo oportet initiari omnes eos, qui in corpore hoc mystico membra esse cupiunt. Causa autem quare Baptismi parvulorum non legantur fermè exempla in N. T. est, quia, cum inter Judæos pauci essent qui Christo nomen darent, ad gentiles sese potißimum contulerunt Apostoli, qui erant homines extra Ecclesiam nati, prius ita aq; informandi, quam baptisandi. Distingui ergo debet inter Ecclesiam constituendam & constitutam: In illa potißimum adulti in hac vero infantes sunt baptisandi.*

προ. 1. Omnes ij graviter hallucinantur qui παιδοβαπτισμὸν admittere nolunt, *ut erant 1. olim* Pelagiani *qui negabant in parvulis esse peccatum originis, baptismum ita aq; ijs non conferri ad peccatorum remissionem, quamvis aliqui concederent posse nihilosecius baptisari infantes. 2.* Henriciani & Petro brusiani *ab* Henrico *quadam &* Petro Brusio *dicti qui tempore* Bernhardi *dicebant non licere infantes baptisare, quod refert & refellit* Bernh. *3.* Itali illi *quorum meminit* Ludov vives, *apud quos nemo baptisari consuevit nisi adultæ jam ætate quod ait magna ex parte in pluribus Italiæ civitatibus observari. 4.* Anabaptistæ *eorum q; patriarchæ* Balthasar Pacimontanus *Viennæ combustus,* Carolstadius, Lucas Sternberger *Anabaptista Olmucensis* Menno Simonis *alijq; plures, qui infantum Baptismum, diris devovere & exetrare solent, 5.* Suenco feldius *qui in Epist. ad Philippum Hassiæ Landgrav. pædo Baptismum sese salva conscientia neq; confirmare neq; pro Baptismo JEsu Christi habere posse fatetur, eumq; triginta productis argumentis operose impugnat, Baptismum illum appellat traditionarium & humanum, detestandam abominationem, Ecclesiæ Christi destructionem Baptismi & memoriæ Christi extinctionē, ordinis Dei perversionē, initium Papistriæ, omnium q; errorum & ignorantiæ fundamentum in Ecclesia & quæ sunt convitia alia. 6.* Photiniani, *&* cum ijs Welsingius *Arminianus, qui asserunt pædobaptismum in scripturæ non esse fundatum.*

προσιμ. 2. Jesuitæ Coll. Ratisb. Bellarm. Valent. & si qui sunt alij contra semetipsos ineptiunt, *quando* παιδοβαπτισμον *dicunt è solis scripturis non posse nisi juncta traditione firmari, qui tamen ipsi è solis scripturis eum firmare satagunt.*

Prop VI. Infantes infidelium extra Ecclesiam degentium non sunt baptisandi nisi in nostram potestatem & familiam transierint: *Quia alias nondum pertinent ad Ecclesiam, neq; per parentes aut*

per

per semetipsos id juris habent ut baptisari debeant, quandiu sunt in potestate parentum extra familiam nostram ibi enim nondum vocavit eos Dominus, neq; Ecclesia habet jurisdictionem in eos, & sic parentes illos suis rebus atq; possessionibus privare nequit: Dico nisi in nostram potestatem aut familiam transierint: Quia infantes infidelium non sunt absolute à Baptismo exclusi, proinde cum in potestatem nostram venerint jure belli, aut donatione aut captivitate aut alio quocunq; modo legitimo & sic pars sunt nostræ familiæ facti, infantes etiam invitis parentibus baptisandi sunt, quia non amplius sunt sui juris sed in nostram redacti potestatem, quemodo & Abraham circumcidit servos suos Gen. 17. 12.

προ. 1. Infantes parentibus infidelibus non sunt per vim eripiendi ut baptisentur, ubi in nostra potestate & familia non sunt: contra quam quidam Canonistæ contendunt: Quia 1. neq; ullibi hoc mandatum, aut 2. ullum hujus rei exemplum est, neq; 3. nobis in eos hoc juris est, neq; 4. hæc Baptismi conditio est.

προ. 2. Infantes infidelium à Baptismo non sunt simpliciter ante discretionis annos arcendi Ubi de venerint legitime in potestatem nostram, & priusquam baptisentur instituendi, ut Calvin. Beza Bucan. contendunt.

προ. 3. Infantes ex alterutro parente infideli sunt baptisandi, quia illi deveniunt in potestatem Ecclesiæ per alterutrum parentem fidelem, & ut Apost. ait Sancti sunt Sanctitate Ecclesiastica 1. Cor. 7. 14. h. e. habent jus & privilegium in Ecclesia ad Baptismum obtinendum.

Prop VII. Infantes exposititij de quibus certo non constat, quod baptisati sint, sunt baptisandi: Dum enim de Baptismo illorum ubi in ejus veritatem sollicitè inquiritur, nil tamen certissimè constat, pro non baptizatis habentur, Non enim potest in iterationis crimen venire, ut ait Leo, quod factum esse nescitur: Et ut Lombard. in hanc rem ait, Quod non creditur gestum, ratio non finit ut videatur iteratum, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur. &c. Concil. Carthag. 5tum can. 3. Placuit de Infantibus, inquit, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptisatos esse, sine dubitatione testentur, neq; ipsi sunt per ætatem idonei traditis sibi Sacramentis respondere, absq; ullo scrupulo esse baptisandos ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.

πρόσωπ. Erravit Alexander 3tius. *qui in decretalibus Gregorij*, de quibus *ait* dubium est an baptisati fuerint, baptisentur his verbis præmissis, si baptisatus es non te baptizo, sed si nondum baptisatus es, ego baptizo te &c. *quem baptismum conditionalem probant quoq; Scholastici & Jesuitæ.*

Prop. IIX. Infantes fidelium ante Baptismum & ab utero non sunt Sancti Sanctitate interna & Spirituali: *Sanctitas potest esse duplex* vel Ecclesiastica, *qua qui præditi sunt, privilegium habent & jus in Ecclesia ad bona ejus capessenda quæ interest Baptismus, & hanc sanctitatem tribuit infantibus Apost. 1. Cor. 7. 14. Rom. 11. 16. neq; nos infantibus fidelium nondum baptisatis denegamus: Calviniani fœderalem vocant, sed minus recte, quia fœdus Deus cum homine non ante sed in Baptismo pacisci tur 1. Pet. 3. 21. E. ante Baptismum nondum sunt in fœdere non ergo sunt sancti sanctitate fœderali, nisi forte hoc sensu, quod habeant jus & aditum ad fœdus etsi nondum sint actu in fœdere: Quo sensu si intelligant, non est qui contradicat:* vel interna & Spirituali is, *qua qui præditi sunt, purificati sunt fide Act. 15. 9. & mundati à peccatis Eph. 5. 26. & renovati interius Spiritu mentis Eph. 4. 23. Quo sensu infantes ante Baptismum sanctos esse h. e. fideles & à peccatis mundatos, negamus: Nam 1. Infantibus Baptismus ordinarie est medium remissionis peccatorum, ut fusius constat suo loco: E. ante baptismum ordinarie non contingit infantibus peccatorum remissio: 2. Infantes ante Baptismum sancti sunt, aut quia nati, aut quia à Christianis parentibus in Ecclesia nati, aut quia immediate à Deo in fœdus recepti: Non quia immediate à Deo recepti, de eo namq; non constat è scripturis ubi media Deus ordinasse legitur: Non quia nati, ita enim omnes immundi Joh. 14. 4. c. 15. 14. 16. caro de carne nati Joh. 3. 6. natura peccatores & iræ filij Eph. 2. 3. Non quia à Christianis parentibus in Ecclesia nati: Quia non generant liberos ea parte qua spiritus sed quâ caro sunt, non unde regenerati sunt, sicut de circumciso non nascitur circumcisus, & sic ut Leo ait, Regenerationis Sacramento per Sp. S. filij promissionis nascuntur, non in utero carnis sed in virtute Baptismatis. Et ubi quæso locorum in scripturis medium receptionis in Ecclesiam esse dicitur natum esse à parente Christiano? Quorsum esset opus nasci ex Deo Joh. 1. 13. ex aqua & Spiritu renasci Joh. 3. 5. filium esse non secundum carnem sed promissionem Rom. 9. 8. si sufficiat nasci ex Christianis parentibus?*

πρόσωπα

προσκτιος. Erroneum est assertum 1. Pelagianorum *veterum qui asserverunt infantes extra Baptismum vitam æternam habere, & illuminari quamprimum nati essent*, 2. Anabaptistarum *qui ut constat ex* Coll. Franc. *Infantes ante susceptum Baptismum dicunt esse sub gratia & in salutis fœdere.* 3. Calvinianorum *qui item credunt ante susceptum Baptismum infantes esse sanctos sanctitate interna: Frustra errorem illum incrustant* Keckerm. Pareus *& alij qui contendunt Sanctos dici solere sanctitate non interna sed fœderali, verum* Calvin. *non ideo baptisantur* inquit *liberi ut filij Dei tũc primũ fiant, qui ante fuerint ad Ecclesia sed solemni potius signo ideo recipiuntur in Ecclesiam quia promissionis beneficio jam ante ad Christi corpus pertinebant*: Beza, *nec enim piorum infantibus primus ad salutem aditus est Baptismus, sed ipsa ex pijs parentibus propagatio*: Amesius: *Filij Christi incipimus esse per fidem ante Baptismum, Baptisantur proprie homines, quia pro filijs Dei habentur non ut incipiant esse filij*: Zepperus: *Infantes ad fœderis promissionem pertinent non tantum in Baptismo sed ante etiam illum pro ætatis ipsorum mensura & captu &c.*: *Hoccine vero sit Pareo, Sanctum solum esse Sanctitate Ecclesiastica, sive ut tu ais, fœderali, non vero interna & proprie dicta?*

Prop. IX. Infantes in infantili ætate sunt capaces veræ fidei. *Quod qui sibi persuasum cupit, cogitet 1. Quod Deo non sit impossibile* ut vel infundat virtutes quacunq; ætate voluerit, (*sunt verba Martyris*) aut etiam efficere ut quanquam ipsi non intelligant, neq; cognoscant quæ creduntur, attamen Sp. S. in eis apprehendat illa & illis consentiat &c.: *Cogitet (2.) quod Johannes in utero noverit Meßiam & ut ait Lucas* ἐσκίρτησε ἐν ἀγαλλιάσει, Luc. 1. 41. 44. *qui fuit motus cum singulari gaudio conjunctus*, Habebat intelligendi sensum qui exultandi habebat affectum, *ut ait* Ambros. *Cogitet 3. quomodo David potuerit Deo ab utero confidere* Psal. 71. 6. *& Christus* Psal. 22. 10. *quomodo ex ore infantium & lactentium sibi posit Deus laudem parare sive ut loquitur textus Græcus* καταρτίζειν, *summa qua decet perfectione parare* Matth. 21. 16. *& firmare* Psal. 8. 3. *quomodo possint Deum timere* Psal. 115. 13. Apoc. 11. 18. *quomodo Esau & Jacob pertinaciter in utero super prærogativa primogenturæ potuerint depugnare* Gen. 25. 22. *Cogitet 4. quod regnum Dei non veniat cum ob-*

servatione Luc. 17. 20. & fides nostra non consistat in sapientia hominum sed potentia Dei 1. Cor. 2. 5. quod Spiritus ubi vult spiret Joh. 3. 8. & fides non à nobis sed à Sp. S. efficacia in nobis excitetur Eph. 1. 9. & sit Dei opus Joh. 6. 29. qui solus novit quid sit in homine Joh. 2. 26. & plus potest facere quam nos capimus Eph. 3. 29.

Prop X Infantes habent actu fidem propriam, quâ per Baptismum donati, justificantur & salvantur: *Hæc assertio firmatur seqq. argumentis: 1. Infantes actu credunt: E. actu habent fidem: Consequentia est manifesta, Antecedens probatur ex* Matth. 18. 6. c. 19. 13. Mar. 9. 42. c. 10. 13. Luc. 18. 15. *Ubi de illis agitur qui sunt τὰ βρέφη, h. e. τὰ τρέφη, qui matrice & mammulis egent, quæ hujus vocis significatio est: de illis, quos Christus ut humilitatis & simplicitatis exemplum proponit, quorum proinde ætas est à malitia remotior, quod de pueris doctrinæ capacibus dici nequit: de illis, quibus nos similes fieri oportet ut ingrediamur regnum Dei* Mar. 9. 15. Luc. 18. 17. Matt. 13. 3. Marc. 10. 13. *quod non de grandiusculis sed de infantibus dicere convenit, nisi absurde velis nugari, oportere grandiorum infantes similes fieri, si qui ingredi velint &c: de illis quos afferebant in ulnis (non adducebant)* Mar. 9. 36. *quos etiam in ulnas recepit Christus* Mar. 9. 36. c. 10. 16. *de illis quos Christus amat, quorum sunt Angeli, quorum est regnum cœlorum, quos ad sese venire vult: Finge, grandævos intelligi, & infantes excludi, pariter quoq; à participatione eorũ beneficiorum excludi necesse erit, neq; constabit an Christus infantes amare velit &c: De his ergo infantibus, quorum ætatem nondum pervertit malitia dicitur quod credant, 2. Infantibus oportet nos esse similes modo ingredi velimus in regnam cœlorum E. habent fidem actu: Antecedens patet ex d l. Connexio constat: Quid enim est in illis infantibus ratione cujus salvantur, & salventur quoq; alij similes illorum, nisi est fides? Et quomodo infantes regnum cœlorum ingredientur absq; fide, cum omnes salvandi accipere illud debeãt sicut parvuli, & vero nemo illorum posit habere atq; fide, quæ imputatur ad justitiam omni credenti* Rom. 4. 5. *& sola justificat,* Rom. 3. 28. *Et quæ est infantum sive circumcisorum sive baptizatorum prærogativa, quod illorum, non ethnicorum, similes esse jubemur, nisi est fides? 3. Infantes Baptismo regenerantur, E. actu habent fidem quâ regenerentur & justificentur: Antecedens, quicquid etiam* Beza *cum assectis contradicat, certum est, quia Baptismus regenerationis lavacrum est: Con-*

nexio

nexio inde patet: Quia regeneramur & adoptamur in Dei filios per fidem Gal. 3. 26. Joh. 1. 13. aut si infans baptisatus non habet fidem infans baptisatus non est Dei filius. 4. Infantes in Baptismo accipiant remissionem peccatorum Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. purificantur Eph. 5. 26. justificantur Matth. 19. 14. Christum induunt Gal. 3. 27. salvantur Tit. 3. 5. ita ut eorum sit regnum cælorum Matth. 19. 14. & placent Deo Matth. 17. v. 14. sunt in fœdere 1. Pet. 3. 21. Gen. 17. 7. 10. 11. Ergo habent fidem: Quia fide purificantur corda Act. 11. 9. per fidem justicia Dei in omnes credentes Rom. 3. 22. per fidem habitat Christus in cordibus nostris Eph. 3. 16. fide recipitur Joh. 1. 14. per fidem est salus 1. Pet. 1. 9. Mar. 16. 16. & nemo venit ad patrem nisi per Christum Joh. 14. 6. c. 15. 4. 1. Act. 4. 12. fide apprehensum Joh. 1. 14. sine fide nemo potest placere Deo Ebr. 11. 6. fœdus item Dei ubi promittit sese patrem benignissimum, Gen. 17. 7. Lev. 26. 11. Jer. 31. 33. Mat. 22. 31. 33. Matt. 22. 31. & adoptat nos in filios, non potest esse absq; fide per quam est υἱοθεσία Joh. 1. 18. Plusc'la alia, ne nimis excrescam, omitto.

Prop. XI. Infantes non habent fidem potentialem, non habitualem, actuali oppositam, non sensibilem & explicitam, sicut habent adulti, veram tamen, eamq; actualem, *justificam atq; salvificam*: Non potentialem, *quæ ratione infantum sit adhuc in potentia objectiva, ita ut Sp. S. tempore per ætatem congruo fidem in illis operari possit, & sic sit in causis, in semine, aut in radice à qua suo tempore prodire possit, etsi actu nondum existat in illa: Jam enim assertum est Infantes actu habere fidem, qui actus opponitur potentiæ objectivæ*: Non habitualem, *quæ non sit actualis, sed ἀεργὸς, nuda & otiosa, Etsi enim habitus fidei infundatur infantibus, ut damus ex hypothesi, ille tamen non est tam otiosus ut in actum non prodeat, nec operetur, quia fidei justificæ actus formalis est apprehendere Christum, quod nisi præstare possit, non est fides.* Non explicitam & sensibilem, *qualem habent adulti, quia forinsecus per δευτέραν ἐνέργειαν sese non exerit, neq; articulorum fidei cognitionem tam explicitam, qualis in adultis requiritur, præsupponit, nec sui cognitionem reflexivam habet, nec ex lectione & auditu oritur, aut cum dubitatione luctatur, sicut fit in adultis*: Suaretz *proinde alienissimam nobis sententiam affingit q dicamus parvulis accelerari usum rationis, ut credere possint & velle baptisari: Quæ sententia nobis in mentem nunquam*

quam venit: veram tamen & actualem, eamq; justificam *fidem habent, quæ meritum Christi vere apprehendat, vere credat; Fidei enim actus formalis est credere* Joh. 3. 16. λαμβάνειν Joh. 1. 12. παραλαμβάνειν V. 11. καταλαμβάνειν V. 5, *sine quo fides vera esse nequit.*

πρόσωπ. Errant qui fidem infantibus denegant: *ut sunt:* 1. Photiniani & Anabaptistæ, *qui ægrotantium somnio simillimũ dicant, quod de infantum fide disserimus:* 2. Calviniani, *qui vel omnem fidem infantum negant, ut* Cingl. Piscat. Beza *vel* δυναμιν *quandam ad fidem, sive potentiam remotam fidei acquirendæ, aut inclinationem ad fidẽ ut* Ursin. Polan. Trelcat. *aut semen fidei ut* Calvin. *aut fidem* δυνάμει *h. e. potentia objectiva, ut* Martyr, Sohn. Bucan. *aut fidem existentia non essentia ut monstrosè dicit* Alsted. *infantibus attribuunt.* 3. Pontificij, *qui fidem habitualem in Concilio Viennensi, natam, in Tridentino approbatam, magnoq; conatu à Jesu astris defensam concedunt, actualem negant,* Adeo absurdum *hoc est* Bellarm. ut injuriam faciant humanis sensibus qui hoc dicunt, Tannero παράδοξον Gretsero *anile delirium* Valentiæ *cogitatio paradoxa, & Lutheranorum delirium est, quod de fide illa asseritur.*

Prop. XII. Infantes Christianorum, non baptisati damnari temere non possunt: *Infantes quidem omnes, quicunq; sint illi in statu hoc corruptionis per se sunt damnationi obnoxij, si Deus secundum justiciæ rigorem agere velit, quia sunt natura filij iræ* Eph. 2. 3. *& peccatores* Rom. 5. 12. *quorum stipendium Mors est* Rom. 6. ult. *Non tamen DEus ita se medijs alligavit, quin extra ordinem agere & infantes salvare per fidem possit, imo etiam velit, ut alibi demonstratur prolixiùs: Circumcisio sane non fuit tam absolute necessaria in V. T. ut absq; ea infantuli salvari non potuerint qui per 40. annos aut necessitate abacti ea caruere, aut ante diem octavum sunt mortui: Quare ergo de Baptismo tam absolutam necessitatem nobis suspicemur? præcipue quod ijs quidem qui baptisati sunt & credunt salus vendicetur, ijs vero qui non sunt baptisati salus non absolute negetur modo non sint increduli* Matt. 16. 16. *quod item preces Ecclesiæ pro infantum salute factas nolit Deus esse irritas, quia fiunt secundum voluntatem Domini* 1. Joh. 5. 14. *Quam sententiam* Gerson *in pleno Constantiensi Concilio inculcavit,* Biel *asseruit,* Cajetanus

nus *defendit*, Cornel. Mussus *Romæ publice prædicavit, nec tamen quod nobis hodie fit, hæreseos ideo damnati sunt : Ipse quoq;* Valent. *eam penitus non improbavit, De ijs vero qui foris sunt, Deus judicet* 1. Cor. 5. 12.

ωφελιμα. Erronea est opinio 1. Augustini, *qui infantes non baptisatos igne æterno cruciandos asseruit, (quem secuti sunt* Gregor. Arimin. & Johan. Driedo,) *quamvis dubitanter non solam de hac re loquatur, sed &* illi peculiare fit *ut Pontificius quidam scriptor de eo narrat*, ut cum aliquem expugnat errorem tanta vehementia illum exaggeret, ut errori oppositio ausam præbere videatur: *Augustini sententiam ait* Pighius, *nulla scripturæ, nulla quoq; Ecclesiasticæ definitionis autoritate subnixam video : Idem August. ex opinione tum temporis & longe ante communi & ab Innocentio Papa probata, asseruit, Infantes non posse salvari nisi Eucharistiam participent :* 2. Lombardi & Jesuitarum *plurium, qui putant infantes illos liberari à cruciatu ignis & vermis, sed non ab eo dolore qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis, quam fidem Catholicam vocant* Jesuitæ Ratisb. *unde etiam non baptisatos infantes post mortem ritu usitato sepulturæ privare & in angulo cæmiterij condere solent. Locum vero his infantibus assignatum vocant Limbum puerorum :* 3. Thomæ *& aliorum qui docent infantes puniri quidem pœna damni non tamen sensus h.e. privari quidem visione Dei inde tamen nullos sentire cruciatus:* 4. Pelagij *qui, ut August. autor est, arbitratus est,* infantes absq; Baptismo morientes beata quadam vita extra regnum Dei frui, *quam opinionem etiam fovent* Ambros. Cathar. & Alb. Pighius, *qui docent ejusmodi* infantes naturali beatitudine acquiescere, jucunde & feliciter in Paradiso quodam terrestri feliciter victuros de sorte sua bene contentos. *At vero nobis nõ potest esse nisi cũ Diabolo qui non est cũ Christo.*

Sect. VII.

De Accidentibus & Circumstantijs Baptismi.

Accidentia Baptismi sunt Unitas, Necessitas, Initerabilitas ut sic loquar, Tempus, Locus & Ceremoniæ quibus administrari solet : De ijs quæritur: 1. An & quomodo Bapt. sit Unus 2 An & quomodo sit necessarius: 3. An iterari non possit & quare, 4. Quo tempore & loco, 5. Quibus Ceremonijs administrandus sit.

Prop. 1. Baptismus est specie unum Sacramentum, *ita quidem ut*

non sit geminus, unus aquæ & alter Spiritus, unus externus, alter internus: Aqua & Sp. concurrunt ad Baptismum, verum non ut species unius generis, sed ut partes quasi materiales unius Baptismi, cujus non pars sed fructus est interior ablutio Spiritus: Baptismo enim est lavacrum aquæ in verbo Eph. 5. 26 *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. *Bapt. vero solius aquæ non est lavacrum aquæ in verbo &c.* Item *Baptismus constat ex aqua & Spiritu, Baptismus solius aquæ aut solius Sp. non constat ex aqua & Spiritu. E. ideo etiam Baptisma dicitur Unum* Eph. 4. 5.

Πορ. Errant qui duplicem Baptismum fingunt, *unum aquæ, alterum Spiritus, qui non habent Baptismum unum, quia differunt duo illi definitione, causis dispensantibus, fine, fructu, objectis, & tempore,*

Prop. II. Baptismus est necessarius necessitate præcepti, medij & hypothetica sive ordinata, non item absolutâ & summâ: *necessarius est* necessitate præcepti, *quia ut supra visum, omnibus & singulis ad consummationem usq; seculi est institutus,* necessitate medij, *quia Deus per Baptismum tanquam salutis medium nos ordinarie constituit regenerare & salvare:* Necessitate tamen hypothetica & ordinata non absoluta, *quia tantum ex hypothesi & extra casum necessitatis sit Baptismus haberi possit, nos per illum salvare constituit, qui tamen alias absolute sine Baptismo agere non potuisset solum, sed & potest imo vult etiam, ubi Baptismus haberi non potest: Non enim absolute est necessarius adultis quia illi per fidem & contritionem servari possunt antequam reipsa ad Sacramentum accedunt ait* Bell. l. 2. de Sacr. c. 13. *neq; infantibus, quia & illi vel baptismo martyrij ex hypothesi Pontificiorum, remissionem peccatorum impetrare possunt, vel baptisari possunt baptismo flaminis, Infantes item V. T. ante diem circumcisionis non sunt damnati, quia secundum Gabrielem non obligabat præceptum circumcisionis nisi venientes ad diem octavum: Nostri ergo infantes præcise damnari non possunt, etsi sine baptismo moriantur, alias deterioris essemus conditionis sub N. quam V. T. & gratia N. T. strictior esset quam antiqui fœderis, quod absonum est.*

Πορ. Errorem fovent 1. Photiniani *qui Bapt. necessarium esse negant utpote à Christo nec institutum nec præceptum,* 2. Calviniani *qui dicunt quidem esse necessarium sed non ut medium verum ut signum, sigillum & testimonium:* Pontificij *qui asserũt Baptismũ posita institutione divina esse necessarium necessitate medij simpliciter ut ait* Bell. l. 1. de Sacr. c. 22.

Prop. III. Baptismus semel legitime collatus reiterari non debet: *Quia pactum gratiæ semel nobiscum in Baptismo iuitum est perpetuum*

petuum, ut semper ad id pateat aditus, tum etiam (2.) verbum Institutionis nullius reiterationis meminit, & (3.) praxis Apostolica baptizatos plures esse dicit, rebaptisatum neminem, potius qui baptisati sunt, ad baptismum semel susceptum remissos, 1. Cor. 6 11. Gal. 3. 26. (4.) circumcisionis analogia, quæ propter fœderis divini firmitatem non reiterabatur: quapropter rectissime factum à pijs Impp. qui pœnas sancivere in eos qui Baptismum reiterarunt.

Prop. 1. Errarunt 1. Hemerobaptistæ qui Baptismum singulis diebus unde etiam nomen sortiti, reiterabant, 2. Marcionitæ qui sæpius baptisabant, & tres Baptismos constituebant, primum post primam conversionem, secundum postquam delictum esset admissum post conversionem, tertium si post secundum Baptismum peccatum sit commissum, ut est apud Damasc. 3. Ebionei qui iterabant cum primis Baptismum, quoties quispiam mulieri conjunctus esset, ut est apud Epiphan. 4. Hebrei illi quorum morem recensent Oecum. Theoph. Ambros. qui Baptesmum volebant reiterari quoties peccabant pro more veterum ablutionum: 6. Aethiopes Christiani, qui Baptismum singulis annis renovant, ceremonia quadam repræsentandi id quod Christus fecit & non ponendo in illa ullam spem ut refert de illis Salmeron in Epist. ad Ephes.

Prop. 2. Ablucinantur Pontificij qui 1 Causam hujus non iterationis dicunt esse indelebilem Characterem, ut est apud Bellarm. l. 2. de Sacr. c. 22 Recte Gabriel, magis ignotum esse statuit imprimere Baptismum characterem quam iterari non posse: Communiter ait Valent. & verissime sentiunt Doctores ejus rei, (initerabilitatis ut loquitur) causam primam & præcipuam esse institutionem Divinam &c: Et (2.) Baptismum sub conditione dicunt esse iterabilem, ubi dubium est morale ac probabile, ita ut administretur sub conditione, si baptisatus es ego te non baptizo, si non es, ego te baptizo &c: Quem Bapt. conditionatum putant valere, si v.g. Infans cujus manus tantum esset egressa ex utero, secundum compartem fuisset baptisatus, aut si quis vestibus esset tectus & secundum eas tantum aspergeretur, aut qui tantum esset aspersus capillos, aut si puer sub præscripta verborum forma & intentione baptisandi simul & occidendi projiceretur in flumen, unde casu vivus evaderet, aut si quis baptisaretur in nomine Christi tantū, aut si qui in nomine genitoris geniti & procedentis ab utroq; baptisati essent, aut si quis esset baptisatus in virtute & autoritate patris, aut si sit dubium, num ante sit baptisatus, itē si quis esset baptisatq à pluribus quorū quilibet diceret: Nos baptizamus Te, &c: Qui quidē Baptismq cōditionatq formā Bapitismi prorsq immutat & perpetuas de veritate Baptismi dubitationes excitat.

Prop.

Prop. IV. Baptismus quovis tempore die & hora, quovis etiam loco rite susci pi potest *quia ad certum tẽpus & locũ in institutione non sumꝰ astricti, nisi ut videamꝰ, ne Baptismũ differẽdo nos ejus cõtẽtꝰ dãnet.*

Wop. Non tamen laudabile est, quod Baptismum longius quidam aut in certum tempꝰ differre consuevere: Fidus *Numidiæ Episcopus in diem octavum* Gregor. *ad triennium,* Tertull. *ad annos discretionis* Albij *ad ætatem adultam aut annum 30. differri volebant, quod & fecere* Constantinus & Theodos. *Impp. qui in ætatem usqꝫ adultam & provectam distulere:* Augustin. *quoqꝫ de seipso testatur se puerum voluisse baptisari cum morte corriperetur sed distulisse usqꝫ dũ revaluisset,* Basiliꝰ *quoqꝫ anno æt. 20. primum ablutus est, qui tamen hunc morem post recte reprehendit:* Musculo *quoqꝫ si seculi mores paterentur non displiceat sententia* Nazianzeni *qui ad triennium differri voluit baptismum, & reprehendit eos qui cum infantibus ad Baptismum festinant.* Clinici vero & Grabatarij *non prius baptisabantur quam animam agerent. Sic & in festo vel Paschatos vel Pentecostes baptisari solitum est, unde* Gregor. 2di *edicto ad Thuringos, nemo citrà mortis necessitatem nisi paschæ & pentecostes festo baptisari jubebatur.*

Prop. V Ceremoniæ sive Apostolicæ & ab Apostolis usurpatæ sive Ecclesiasticæ & post Apostolorum tempora additæ, nec per se ineptæ & superstitiosæ, liberè in Baptismo possunt retineri. *Non tamen quæ verbis* Bellarm. *loquor* l. 2. de Sacr. c. 30. nimis multiplicandæ, ita ut sua multitudine obruant quodammodo religionem cui servire debent, *quod si Papicolæ attendissent, 22. ceremonijs baptismi simplicitatem non obruissent.*

Sect. IIX. & Ultima.

De Definitione Baptismi.

Prop. Ult. His tandem constitutis, Baptismus *nobis* est actio Sacra (prius *N.T Sacramentum*) quâ in nomine Patris filij & Sp.S. homo aqua verbo DEI comprehensa abluitur in remissionem peccatorum & salutem æternam: *Brevius est* lavacrum aquæ in verbo vitæ: *sive* est lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. ad salutem æternam. *Alias aliorum definitiones recensere & examinare non est nostri instituti: Abrumpimus telam & damus*

SOLI DEO GLORIAM.

nexio inde patet: Quia regeneramur & adoptamur in Dei fili
Gal. 3. 26. Joh. 1. 13. *aut si infans baptisatus non habet fide*
ptisatus non est Dei filius. 4. Infantes in Baptismo accipiant
peccatorum Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. *purificantur* Eph. 5. 26.
Matth. 19. 14. *Christum induunt* Gal. 3. 27. *salvantur* Tit.
eorum sit regnum cælorum Matth. 19. 14. *& placent Deo*
v. 14. *sunt in fœdere* 1. Pet. 3. 21. Gen. 17. 7. 10. 11.
fidem: Quia fide purificantur corda Act. 11. 9. *per fidem ju*
omnes credentes Rom. 3. 22. *per fidem habitat Christus in co*
Eph. 3. 16. *fide recipitur* Joh. 1. 14. *per fidem est salus* 1. Pe
16. 16. *& nemo venit ad patrem nisi per Christum* Joh. 14. 6
Act. 4. 12. *fide apprehensum* Joh. 1. 14. *sine fide nemo potest*
Ebr. 11. 6. *fœdus item Dei ubi promittit sese patrem benigniß*
17. 7. Lev. 26. 11. Jer. 31. 33. Mat. 22. 31. 33. Matt. 22. 31
nos in filios, non potest esse absq; fide per quam est οἰκείωσις
Pluscula alia, ne nimis excrescam, omitto.

Prop. XI. Infantes non habent fidem potentialem
bitualem, actuali oppositam, non sensibilem & explic
habent adulti, veram tamen, eamq; actualem, *justifica*
ficam: Non potentialem, *quæ ratione infantum sit adhu*
objectiva, ita ut Sp. S. tempore per ætatem congruo fidem in
posit, & sic sit in causis, in semine, aut in radice à qua suo te
ci posit, etsi actu nondum existat in illa: Jam enim assertum
actu habere fidem, qui actus opponitur potentiæ objectivæ: No
lem, *quæ non sit actualis, sed* ἀεργος, *nuda & otiosa, Etsi e*
fidei infundatur infantibus, ut damus ex hypothesi, ille tamen
etiosus ut in actum non prodeat, nec operetur, quia fidei ju
formalis est apprehendere Christum, quod nisi præstare posit,
Non explicitam & sensibilem, *qualem habent adulti, qu*
per δευτέραν ἐνεργείαν *sese non exerit, neq; articulorum*
tionem tam explicitam, qualis in adultis requiritur, præsupp
cognitionem reflexivam habet, nec ex lectione & auditu oritur,
bitatione luctatur, sicut fit in adultis: Suaretz *proinde ali*
nobis sententiam affinxit q dicamus parvulis accelerari usum
credere possint & velle baptisari: Quæ sententia nobis in m

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739731793/phys_0101
DFG